

MAZ.

1872

1873

1874

1875

1876

1877

1878

1879

1880

1881

1882

1883

1884

1885

1886

1887

1888

1889

1890

1891

1892

1893

1894

1895

1896

1897

1898

1899

1900

BIBLIOTECA NAZ.

Vittorio Emanuele III

LV


A

27


NAPOLI














72
HISTORIA

RERUM

GESTARUM

A BRABANTIÆ

DUCIBUS.

AUTHORE

ADRIANO BARLANDO

Editio Nova.



BRUXELLÆ;

Typis FRANCISCI FOPPENS,
sub signo S. Spiritus.

M. DC. LXV.

HISTORIA



GENEALOGIA

DUGLASS

AMERICA

ADRIANO PALLADINO

1800



BRUXELLES

THE FRANCIS & TAYLOR

MDCCLXX

ADRIANI

BARLANDI

IN HISTORIAM DUCUM

PRÆFATIO.



ORATIO autore:

*Omne tulit punctum, qui
miscuit utile dolci.*

Potest ne quicquam historia
dulcius esse, per quam unam
tot pulcherrimarum situs ur-
bium, tot fluminum cursus,
hortos, amœnos recessus, musa-
rum domicilia, patrios cultus,
habitus locorum, & quid quæ-

* 2

que

PRÆFATIO.

quæ ferat regio, quid quæque recuset, ubi segetes, ubi veniant felicius uvæ cognoscimus, & domi manentes sine sumptu, sine periculo orbem ipsum terrarum nobis peragrasse videmur.

Ejusdem muneris utilitas nonne maxima est? Vitam, mores, facta hominum, consilia item, atque eventus rerum in medio ponit, in quæ posteritas omnis tanquam in speculum inspicere possit, & vitam, moresque componere. Quid bonorum animos Principum ad res cum laude gerendas magis accendit, inflammatque, Tyrannorum cupiditates quid magis refrenat, dum utrique cernunt, quæ in vita patrarint, futurum ut mox in orbis totius, imò seculorum omnium theatrum omnibus spectanda producantur?

PRÆFATIO.

cantur ? Nullam earum habere notitiam rerum , quæ antequam nascerere , contigerunt , hoc est , semper esse puerum. Ut præteritis etiam sæculis vixisse videamur , sola præstat historiarum cognitio. Absolutum oratorem neminem dixerim , nisi & exemplis abundaverit , & quamplurima noverit. In libris historicorum , ut dixi , omnis exempli documenta , velut in illustri monumento posita intuemur , undè quæ imitanda sint depromere , nobisq̃ue ad imitandum proponere , quæ fugienda fugere possimus. Consulendum est itaque Principibus , Regibus , Imperatoribus , ut historicos legant. Quæ enim non audent Principibus demonstrare domestici , ea omnia Principes ipsi in libris scriptis reperient.

P R Æ F A T I O.

perient. Historia ad id quod honestum est inflammat, vitia detestatur, probos extollit, improbos deprimit. His tam multis, ac variis utilitatibus adductus ego conscripsi, & primus tanquam fatis mihi servatam in litteras misi rerum à Brabantia Ducibus gestarum historiam, fortasse non tanta sermonis politione, at fide optima. Nihil enim vel gratia vel offensæ datum est. Scio abesse ab historico debere foedum assentionis crimen, & amorem, ac benevolentiam, metum, & similitatem. Nullus tota est historia locus, quem non sim paratus magna etiam sponsione in Chronicis lingua nostrate conscriptis, aut aliis certè, qui his de rebus aliquid litteris mandaverint, ex fide representare. Quod si quis domesti-

cis

PRÆFATIO.

cis fidem existimet abrogandam scriptoribus; Livius fabulam, non historiam fecit, quem tam multi tradunt in conscribendis rebus gestis, Romanos, non Punicos secutum esse annales. Quod verò ad stilum attinet meum, omnino nihil sum sollicitus. Historia, ut ad suum scribit Capitonem Plinius, quoquo modo scripta delectat ipsa ad rerum notitiam provocante natura. Sed damnabit fortasse me quispiam ut nimis brevem. Datur laudi aperta ac lucida brevisitas. Qualis apud Salustium. Alius disparitatem reprehendet. Huic Livium obiiciam, quem modo brevem, modo copiosum videmus. Dicit alius omitti quidam, & præteriri. Ad Justinum pervocabo historiæ scriptorem, provocabo ad
Sueto-

PRÆFATIO.

Suetonium, qui Cæsarum vitas
ita conscripfit, ut multa vel præ-
tereat, vel nimis circumcisè nar-
ret, quæ ab aliis dicta sunt co-
piosius.



EX AUTHORIBUS

De utilitate Historiæ.

SOlet quæri ab studiosis viris, utilis ne sit historiã? Nos verò non modo utilem & frugiferam, sed necessariam mortalibus esse contendimus. Et quemadmodum agricolatione corpora, sic monumentis rerum animi foventur, vita cupido, pharmaca pellendis morbis invenit. Series rerum, ne una cum eo qui gerit, interiret, historiam excogitavit. Quanto nobilior animus, tanto ceteras dotes præcellit historia, potissimamque sibi sapientiæ partem vendicat. In ea est enim imitatio vivendi, vitia detestatur, virtutes ardore quodam imitationis effert, & cum rebus omnibus tempora vetustatem adferant, Historia numero annorum admirabilior est, & sanctior habetur.

SUMMA PRIVILEGII.

PHILIPPUS, Dei gratiâ Hispaniarum Indiarumque &c. Rex Catholicus, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, &c. Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate seu sanxit, ne quis Librum cui Titulus. *Historia Ducum Brabantiae Authore ADRIANO BARLANDO*, citra FRANCISCI FOPPENS Typographi Bruxellensis, voluntatem ullo modo in Belgio intra sex annos proximos imprimat, aut alibi impresos in has ditiones importet venalesue habeat. Qui secus faxit confiscatione Librorum, &c. ut latius patet in Litteris datis Bruxellae die 20. Aprilis 1665.

Signat

LOYENS.

N O M I N A

B R A B A N T I Æ

D U C U M.

PIPINUS primus, filius Carolomanni, geniti ex Brabone tertio hujus nominis: Tertio item Principe Brabantix, antequam hæc Provincia Ducatus nomen accepisset.

PIPINUS Secundus. 2

CAROLUS Martellus. 7

PIPINUS Tertius. 12

CAROLUS Magnus. 14

LUDOVICUS Magni filius. 20

GODEFRIDUS Barbatus. 22

GODEFRIDUS Barbati filius. 24

GODEFRIDUS III. 26

HENRICUS tertii Godefridi filius. 28

HENRICUS Secundus primi filius. 32

HENRICUS Tertius secundi filius. 35

JOANNES Henrici tertii filius. 36

JOANNES Secundus, superioris filius. 42

JOANNES Tertius secundi filius. 48

WENSELAUS Joannis Bohemiæ Regis fi- lius.	53
ANTONIUS Philippi Burgundiæ Principis filius.	59
JOANNES Antonii filius, Conditor scholæ Lovaniensis.	64
PRIMUS Philippus Joannis frater.	75
PHILIPPUS Burgundiæ Dux.	78
CAROLUS Philippi filius.	92
MARIA Caroli unica filia:	132
MAXIMILIANUS Mariæ superioris mari- tus.	140
PHILIPPUS Maximiliani filius.	161
CAROLUS Philippi filius, Burgundus ori- gine Cæsar.	175
IMPERIUM Oceano : famamque terminat astris.	



CHRONICA

BRABANTIÆ DVCVM,

Auctore ADRIANO BARLANDO.

PIPINUS

PRIMVS DVX BRABANTIÆ.

BRABANTIA Germaniæ Provincia est, multum amœna & deliciosa, pecoris ferax, frumenti multo feracior, pomorum abundantissima. Urbes habet multas illustri nomine, in quibus ædificia publica, pariter & privata visendo sunt apparatus. Per multi ad urbium speciem extructi vici. Gens laudatissima, & ad omne humanitatis officium

A

maxi-

maximè obvia : doctrinarum quoque & pietatis cultrix, nec bello inutilis. Habet enim (ut Poëta dixit) regio hæc genus acre virûm : cujus Dux primus fuit Pipinus Carolomanni filius, qui uxore captâ ex gente Aquitanica, Suevos aliosque Germaniæ populos bello vicit. Huic tres fuere liberi : filiæ, Begga & Gertrudis, quarum hæc est postea in numerum relata Divarum : filius, Grimoaldus, qui patre mortuo Dux factus, reipublicæ præfuit. Huius viri consilio Sigisbertus rex Francorum, diversis locis in pauperum alimoniam sacras ædes, & cœnobia extruxit. Oidio quorundam interfecto postea Grimoaldo, soror ejus Begga, cum marito suo res Brabantiæ aliquantum temporis administravit.

PIPINUS II.



MATRI Pipinus successit hujus nominis secundus, & Dux Brabantiæ tertius, qui Herstalli cognomen accepit ab Herstallo. Qui locus inter Leodium visebatur & Trajectum, ubi ad Mosam fluvium idem Pipinus

pinus arcem extruxerat, in quam frequenter credo, loci captus amœnitate, se recipere solebat. Progenitoribus est hic ortus sanctissimis, ut præteream alios, matrem habuit Beggam, Gertrudis divæ sororem.

De Matrimonio ejusdem, & Liberis.

Plectrudis mulier vitæ sanctimoniâ insignis, huic uxor data est. Matrimonii vinculo sic juncti, ac velut concatenati, bonorum omnium radici concordix nihil præferendum existimantes, omnia sic egerunt, ut pax inter eos & tranquillitas esset. Hanc pacem id boni fecutum, ut ex eo conjugio digna parente sit ædita proles: filiū tres, Drago & Grimoaldus, qui cū Christi esset fortis adfertor Dei, postea Leodiū martyrium adiit ob Christi fidem, ibi sepultus in æde divo Iacobo sacra. Filius tertius fuit Silvius vir pientissimus, qui & ipse sancti appellationem meruit. Filia Notburgis vocata est; sepulchro illata Colonix, miraculis claruit, quæ res vitæ innocenter actæ, evidens est indicium. Omnium ex conjugē Plectrude liberorum funera vidit Pipinus.

De Bello ejus cum Frisii's.

Gubernante eo res Brabanticas, Frisii, qui tum erant fidei hostes, ut suum in Christianum nomen explerent odium, Franciam Orientalem ferro & igni latè vasta verant. Pipinus igitur orthodoxæ fidei propugnator acerrimus, ex suis delectu habito, aliquot armatorum millia contrahit. Nec longior inde mora, cum his copiis in Hollandiam transgressus, Wiltemburgum, nunc urbs Trajectum dicitur, obsedit; multumque & diu ab his qui intus erant, strenuè defensum, tandem cepit. In urbe jam capta vis ingens Barbarorum cæsa est: hic primùm subacti sunt Frisii, qui nunquam antea didicerant externo parere Principi. Eorum, quos armis devicerat Pipinus, animas quoque lucrari & servare cupiens, Willebrordum, quem habebant ea tempora virum sanctissimum, huc misit, qui clarissimâ Evangelici splendoris luce, cæcatos infidelitate populos illustraret, & gentem alioqui indomitam ad veri & unius Dei cultum accenderet.

Adulterium ejusdem.

Incidit postea Pipinus in foedum adulterii crimen, quod ipsum eò foedius est habitum, quò innocentiùs vixerat ad id tempus ipse. Alpiadis cujusdam nobilis & formâ excellenti mulieris pulchritudine captus eam compressit, & prægnantem haud multò post reddidit; unde natus illi filius Carolus, qui Martelli cognomen tulit. Hunc Pipini amorem eò progressum invenio, ut adhuc superstite uxore legitimâ Plectrude, alteram quoque matrimonio sibi junxerit; quod factum in Duce cùm Lambertus Trajectensium ad Mosam Episcopus reprehenderet: Dodo Princeps, Alpiadis frater, veritus futurum, ut Lamberti monita secutus Pipinus, sororem ejus dimitteret, misit qui sanctum virum interficerent; noctu occisum invenio, cùm aliquamdiu orationi incubuisset. Hac de re sic habet Sabellicus in Enneadibus: Et Lambertus vir insigni pietate martyrio defunctus est, quia Pipinum increpuisset, quòd Alpiadem pellicem uxori superduxisset. Alpiadis frater Lambertum peremit, nec impunè. Incidit nefariæ cædis auctor in atrocissimum genus morbi, erodente seipsum corpore suppliciaque sibi gigen-

6 *Chronica Brabantia Ducum.*
nente Græci Pthiriasim vocant, Pedicularis
Romana voce dicitur. Apud eundem adno-
tatum inuenio his verbis: Duas Pipino, Blon-
dus ait, uxores fuisse; Calpiadem, ex qua Ca-
rolus, qui Martelli cognomen tulit, fuit ge-
nitus; secundo loco Plectrudem. Sunt qui
Calpiadem Plectrudi superductam tradant;
non desunt, qui Martellum ex concubina,
non legitimo thoro natum scribant. Tanta
ubique Scriptorum laboratur inconstantia.

De Morte ejus.

HErstallus, per hæc quæ dixi, & alia
quædam in Galliis, cui Provinciæ gu-
bernandæ præfectus fuerat, gesta, excursio-
nitæ spatio, moritur anno principatus sui
vigefimonono. Priùs tamen quàm dece-
deret, apud convocatos oppidorum primo-
res, filium sibi, his etiam amplectentibus,
successorem constituit, qui legitimo tho-
ro natus non erat.

CAROLUS MARTELLUS.

De Præliis ejus, & Saracenorum Adventu in Gallias; Item de Frisiis.

CAROLUS hic Martellus, robustâ fuit & ferreâ naturâ (unde cognomen accepit; *Martel* enim linguâ nostrate *hamer* sonat) quam in subigendis hostibus, egregiè ostendit. Saxones primò victi ab eo, & infestissimi accolæ & rebelles; inde subacti Alemanni, subacti sunt & Suevi. Postea ab Eudone Visigotho Aquitanix & Vasconix Principe, bellum sibi illatum per Legatos gessit. Ille cum exercitu Vasconum fines ingressi, cum Eudone, qui ad vim arcendam occurrerat, pugnaverunt. Prælio superatus Eudo, suisque diffusis opibus Saracenorum implorat auxilium, qui jam annos decem in Hispaniis agebant. Galliam per hoc tempus ingressi, Burdegalam urbem vi capiunt, captam diripiunt; Christiani nominis odio sævitum est sine discrimine, in viros, in fœminas, in pueros: templa quoque funditùs

ditus everſa ſunt omnia, & conculcata ſimulachra Divorum. Jam progredi eos ad diripiendum Martini Turonenſis templum, variis ac pulcherrimis opulentum donariis, fama erat; Carolus igitur undique contractis viribus, ipſo etiam Eudone, qui Saracenos accerſierat, in partes ſuas adducto, Turonum contendit, ad impiæ gentis opprimendos conatus: nec multò poſt concurritur utrimque maximis odiis, animiſque. Utraque pars difficilem hanc ſenſit pugnam, ſed Saraceni etiam funeſtam; proditum eſt enim fidei hoſtium, cæſa hoc loco millia ſeptuaginta. Tam inclitâ non contentus victoriâ Carolus, domitis Burgundis, & poſt mortem Eudonis, cujus adjutus viribus Saracenos vicerat; Aquitaniæ quoque magnâ parte ſuis opibus adjectâ, ad Friſones bello perſequendos animum adjecit, qui populi per id tempus nondum Chriſti fidem amplexi erant. Huc deſectus claſſe Martellus, omnia diripuit, omnia cæde completivit, nullâ neque ſexûs, neque ætatis ratione habitâ, ſubvertit ſtatuas deorum, templa ferro & igni deditit.

Carolus Gallia Regibus imperasse.

Hilderico Francorum Rege mortuo, Carolus delatum sibi Provinciæ totius imperium, & Regis insignia pertinacissimè recusans; imperare, inquit, Regibus quàm Rex esse malo, & in locum patris demortui suffecit Dagobertum, qui Hilderico natu major filius erat. Huic post quadriennium defuncto, subjecit Carolus fratrem Lotharium, qui non ultra biennium regnavit. Postea Chilperico, qui cognatus erat Regum defunctorum, vi & armis regnum occupare volenti, se cum exercitu objecit Carolus, fuitque ea Chilperico infelix dimicatio; qui sic victus non multò post Legatos ad Carolum misit, quorum ille ita placatus est oratione, ut regia Chilperico statim detulerit insignia. Huic postquam annos quindecim rerum potitus esset, quidam scribunt Theodoricum quemdam successisse: alii Theodoricum Chilperico in administratione præponunt, & eos dicunt fratres fuisse.

De aliis quibusdam rebus ab eo gestis.

Vicit & Saracenos Carolus ante Avinionem, quam urbem tum illi occupaverant, duce eorum cæso Amorreo, qui ex Hispaniis accurrerat, suis laturus suppetias. Gregorio Pontifice tertio, Lutprandus Longus Longobardicæ Princeps gentis Romam obsidione fatigabat: in Leone (qui Romanus erat Imperator) nulla spes Pontifici cum esset, ad hunc Carolum in Galliis agentem datæ litteræ, quibus orabat eum Pontifex, ut laboranti Romæ succurreret; Carolus Pontificis lectâ epistolâ, posthabitis omnibus, cum Lutprando sibi amicissimo egit, ut pro mutuo amore abstineret ab Ecclesiæ rebus; quod Lutprandus, ne non omnia Caroli, hoc est summi amici causâ velle crederetur, libentissimè fecit. Ex quo tempore Gallorum Reges urbi Romanæ Apostolicæque Sedi favere cœperunt. His multique aliis partâ gloriâ, Carolus jam senex vita decessit. Quidam scribere sunt ausi, damnatum eum esse, & nunquam finiendis traditum cruciatibus, quòd assiduis exhaustus bellis, inclementer extorserit à Clero pecuniam, ut ita procerum suorum rebus confuleret. Additur à Scriptoribus Euche-

rio Aurelianensium Episcopo, sacris operanti, primâ luce cælo repentè delapsûm è Divis unum id nuntiasse ; sed hæc cunstantibus referenda, ne fides historiæ abrogetur. Plerisque enim stultè multa asserentibus, temerè assertis, multi aliquantò stultiùs accedere solent.

De Filiis ejus.

IN Chronicis germanicâ linguâ conscriptis, invenio tres Martello patri filios supervixisse, & filiam unam. Sabellicus nullâ factâ mentione filiaë, diversus abiens, duos tradit filios ab eo relictos superstites, Carolomanum, cui maximo natu, ex patris divisione Austria & Suevia, Pipinum, cui Burgundia & Francia obvenerunt, Carolomanum postea sponte religionem secutum, Romam venisse, ad Pontificem Zachariam, ab hoc sacris initiatum, monasticâque indutum cucullâ, Cassinense adiiisse monasterium. Pipinum postea solum gubernasse, devictos ab eo Germanos, Aquitanos, & Alemannorum gentem : moderatum & eum Francorum rebus, ut patrem.

PIPINUS III.

Rex Gallorum creatus.

SIVE per ea tempora Childericus, sive Theodoricus regnum tenuerit, uniuersa Pipini virtutem amplexa Gallia, pertesaque Regis amentiam; Pontifice Romano qui tum Zacharias nominabatur, prius consulto, hunc regem creat. Mirum fuit semper huius viri studium in Romanam Ecclesiam, unde Christianissimi cognomentum tulit, Romanis, & laboranti Ecclesiae aduersus Aistulphi Longobardorum Regis injuriam opitulatus est. Stephano hujus nominis secundo Pontifici, in Gallias ad auxilium contra Longobardos implorandum venienti occurrit, adque pedes ejus venerabundum se dimisit, inde equo insidentem, pedibus ipse in regiam perduxit. Tantò tunc Reges pietatis & religionis studiosiores erant, quam nunc privati. Hujus illa vox est, eo consilio nos arma induimus, ut Apostolicam Sedem ab omni mortalium injuria vindicemus, id daturi Christianae pietati, non mortalium studiis.

Bellum Aquitanicum.

MAgnum fuit Pipino cum Aquitanis negotium, qui octavo demum anno victi ac debellati sunt. Primam expeditionem ad Theloatum oppidum castra posita, & priusquam dimicari coeptum, Nauferio Aquitaniae Principi data pax est. Inde cum in regni interiora se recepisset, exercitumque dimisisset Pipinus, Nauferii miles, Galliarum gentem subitam vi adortus, omnia longè latèque populatur. Ad quam ulciscendam perfidiam, cum exercitu & copiis tumultuosè reparatis, misit filium Carolum Pipinus, erat enim jam ipse grandis natu & senio confectus. Aquitaniam igitur ingressus magno animo Carolus, ex Arvernibus brevi multa occupat loca, fuit hoc Tyrocinium, hæc tam læta habuit initia militare imperium illius, cui resegregiè gestæ magni cognomentum peperere. Nec multum inde fuit in terris Pipinus, ex Berta conjugè, Heraclii Principis filia relictis superstibus filiis duobus, Carolo qui postea magni cognomentum (ut dixi) est adeptus, & Carolomanno, quo mortuo Carolus omnem imperii molem solus sustinuit.

CAROLUS MAGNUS.

Res gesta ejus.



CRANCORUM regnum quod à patre magnum quidem & amplum acceperat, multò maximum & amplissimum reddidit jure belli, adjectis Aquitaniâ, Vasconiâ, toto Pyrenæi montis jugo, Italiâ totâ ab Augustis prætoriis usque ad minorem Calabriam, Saxoniâ citra & trans Albim, utrâque Pannoniâ, Daciâ, quæ apposita in altera Danubii ripa est, Istriâ quoque & Liburniâ, atque Dalmatiâ, præter maritimas civitates. Perdomuit atque subegit Barbaras nationes, quæ intra Vistulam ac Rhenum amnes incolæ sunt Germaniæ. Saraceni ab eo in Beticæ angulum ex cætera Hispania sunt compulsi. Bellum gessit cum Desiderio Longobardorum Rege ac hoste Romani Pontificis; hunc redactum in potestatem, jussit Lugdunum in Galliam deportari. Sub Dominicæ resurrectionis die Romam pacato agmine venientem Carolum, Adrianus

nus Pontifex hujus nominis primus, accepit, eundemque pulcherrimis, ob merita in Romanam Sedem, decretis ornatum dimisit. Saxonicum deinde bellum ab eo repetitum est, cujus causam fuit rebellio; absente enim Carolo, omnia ad Rhenum usque Saxo vastaverat. Hoc defunctus bello, cum Bavarum Duce pacem sanxit; cum eodem postea bellum gessit, ob non datos obsides, quos priore foedere promiserat Bavarus. Post receptos in deditioem Bavaros, Sclavi, Istri accolæ bello petiti; gentem hanc æstate unam perdomuit. Postea Hunnos, qui & Hungari jam appellari cœperant, adortus, insigni clade affecit, ac mox in deditioem acceptos humanissime tractavit. Jam tot claris victoriis, tot ferocissimarum gentium domitor Carolus, Franconiam est profectus. Est hæc Germaniæ regio, hic ab eodem indicto multorum conventu Antistitum, Felicianæ est damnata hæresis, de abolendis Sanctorum imaginibus.

*Carolus à Leone tertio Pontifice Romano
Imperator declaratus.*

Romanus Pontifex Leo tertius, qui Adriano successus est, dum considerat Regis Caroli & progenitorum ejus, maxima

ma extare in Ecclesiam merita, & Imperatores Constantinopolitanos ægrè tantum nomen defendere ac tueri, maximo totius populi consensu atque rogatu, Carolum in urbem reversum, Imperatorem Romanum declaravit, & inunxit ter, acclamante universâ multitudine: Carolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori vita & victoria.

De Vxoribus ejus & Liberis.

TRes habuit in vita uxores, prima fuit Hildegardis nomine, ex qua tres illi sunt nati filii, Ludovicus, Pipinus & Carolus. Postea Wormaciæ in Germania, nupsit ei filia Rodolphi Comitis Franciæ orientalis, huic Fastradæ nomen, ex qua duas sustulit filias, unam Theoderatam, Hiltrudem alteram. Mortuâ Fastradâ Lutgardam duxit, ex qua liberos non suscepit.

De Conditione Parisiensis Scholæ, quibusdam aliis gestis ejus, & morte.

JAm Imperator consecratus, Ecclesiæ ac Pontificiæ dignitatis patrocinio semel suscepto, Campulum quemdam & Pascalem impietatis reos extremo supplicio admoturus erat;

erat; sed Pontificis rogatu, poenâ illis remissâ utrumque in Galliam relegavit. Bonarum artium studia cùm indulgentissimè foveret, Parisii divinæ humanæque sapientiæ scholam, & item alteram Ticini instituit. Junioribus orbatus filiis, Pipino Mediolani, Carolo in Germania, Ludovicum, quem virilis stirpis unicum jam habebat, celeberrimo totius Galliarum populi conventu, consortem Imperii declaravit. Cùmque reliquum vitæ tempus quod dederunt superi, in ocio egisset, feбри tandem & lateris doloribus obiit, anno ætatis septuagesimo primo; Aquisgrani sepultus, in templo à se constructo. Monumento ejus inscriptum, Caroli magni Christianissimi Romanorum Imperatoris corpus, hoc conditum est sepulchro.

De Prodigis qua mortem ejus præcesserint.

MOrtem ejus præcessit deliquium Solis, idem annus quo Princeps tantus ex humanis decessit, Lunam ter vidit obscuratam. Aquisgrani in templo ic̄ta fulmine pila concidit; eodem loco & porticus à palatio ad templum ducens, corruit. Pons quem idem Carolus Moguntiaæ ædificaverat, igni totus conflagravit.

De Statura ejus.

Corpore fuit amplo & robusto, excelsâ staturâ, oculis prægrandibus, ac vegetis, hilari facie; incessus illi firmus, & tota corporis habitudo virilis; clarior vox, quàm vt corpori tanto conveniret, prospera valetudo, præterquam quòd proximo ante obitum quadriennio sæpiùs febri sit conflictatus.

De Facundia & Studiis ejus.

Dicendi facultate multum valuit ac præstitit, nec latini sermonis peritiâ contentus, etiam peregrina studia sectatus est; græca tamen intelligebat meliùs quàm inter legendum pronuntiabat. Liberalium artium studia indulgentissimè fovit, impensissimè adamavit, earumque Professoribus honoris plurimùm exhibuit. In Græcis percipiendis operam dedit Petro Pisano cuidam; in cæteris disciplinis, Rhetorica, Dialectica & Astronomia præceptore est usus Alcuino Britanno, quem virum in primis coluit. Mirum fuit in eo venandi & equitandi studium, exercuit & corpus frequenti natatu.

De

De Cura ejus circa Liberorum profectum.

Flios doctissimis erudiendos tradidit præceptoribus, amplissima promittens atque dissolvens salaria. Neque enim ignorabat, quo quisque eruditior esset, eò faciliorem clarioremque doctrinam ministrare, neque parentum nomine dignos judicabat, qui agros, qui vineta, qui jumenta quoque pluris facerent quàm filios.

De Temperantia ejus in cibo & potu.

Cibi erat valdè temperans, quamquam jejunia corpori suo noxia querebatur, vini tam parcus, ut non amplius ter, quater, super coenam aut prándium biberet. In cibo ferinam carnem assam maximè appetebat, convivium rariùs agitare, ac non nisi festis diebus; traditur & illud, numquam eum sine docto colloquio aut historica lectione cibum cepisse. Cùm semel optasset sibi, ac sæculo duodecim viros Hieronymi & Augustini similes, adstans fortè præceptor Alcuinus: Tu vis, inquit, habere duodecim, cùm ipse Christus cæli ac terræ dominus horum similes, eâ tempestate plures non habuerit.

De Pictate ejus in Deum & Clementia.

Pietatis ac religionis Christianæ tam diligens cultor fuit, ut non tantùm Missis & sacrorum interesset horis, sed & Hymnos & Psalms interdum caneret, ceu ex initiatis ac sacrificis unus. Tempia Divis erexit, veram religionem observavit etiam in minimis, injurias illatas civili animo tulisse, in hostes rarò acerbiùs sævisse traditur.

LUDOVICUS.

De Filiis ejus.

CAROLO patri demortuo successit Ludovicus, tantâ vir clementiâ, ut inde pii cognomen sit adeptus. Aquisgrani post obitum parentis optimi, cùm Legatis gentium diversarum, pax nova est ab eo sancita. Filios habuit Otharium & Pipinum; hunc Aquisgranis, alterum præfecit Bavaris.

De Bellis ab eo gestis.

CUM Dacis bellum gessit. Vascones operâ Gallorum ad imperium retraxit. Britones, qui res novas moliti, novum sibi Regem creaverant, vicit; in prælio captum Murmanianum (is Regis nomen invaserat) occidi jussit. Hoc imperante Roma caput gentium à Saracenis obsessâ est, vastata & omnis Tuscia, donariis & sacra veste spoliatum Cassinense monasterium, omnia rapinis & incendio foedata sunt.

De Morte & decretis ejus.

DEcessit Ludovicus anno imperii vigesimo sexto, sepultus Metis, qui totâ vitâ paternam æmulatus pietatem, sanxit, ne sacris initiatus hominum servitio se subjiceret: Quàm turpe est enim istis aulicis esse à scopis, à matula, à poculis, vel cum mulieri ante ambulare, ad cujus verba in sacrificio panis convertitur, non solum in hominem, sed quod humanum intellectum supergredi videtur, in Deum. Sanxit & illa, ne Sacerdos quæstui sese ulli dederet, cum omnis ipsi ordini turpis esset quæstus. Eodem auctore statutum & illud Antistitum cele-

celebri conventu, ne Sacerdotes purpurâ,
serico, aut gemmatis annulis uterentur.
Abrogavit huic tam pio decreto, ut multis
aliis, nimiùm luxui dedita posteritas.

G O D E F R I D U S B A R B A T U S.

*Cur omittantur vita quorundam Ducum.
De bellis ab eo gestis cum Arnol-
do Grimbergensi Principe.*



UÆ post hujus Ludovici principatum gesta sunt usque ad tempora Godefridi Barbati Ducis, qui Brabantiam terram ab Arduennæ Principibus occupatam primus recuperavit, ea haudquaquam incorruptis rerum gestarum monumentis tradita, nec affirmare nec refellere statui. Hæc quæ sequuntur, & rerum novitate, & varietate exemplorum, non modò delectare poterunt, sed & prodesse lectori. Godefridus igitur post Brabantiam armis ac viribus recuperatam, bellum indixit Arnol-
do Grimbergano, qui cùm esset longè ditissimus, & magno vir animo, Godefridum
agnos-

agnoscere superiorem recusabat. Hinc mucronibus, verutis, securibus acerrimè inter eos certatum; vicit tandem Arnoutus. Post illa quoque dum hostiliter sæpiùs congregiuntur, haud uno loco multum sanguinis humani effusum est.

Cur dictus sit Barbatuſ, & de amore omnium hominum erga eum.

G Odefrido Principi natu grandiori cognomen Barbato fuit, promiserat enim patri se non ante positurum barbam, quàm adeptas recuperasset Provincias, Lotharingiam & Brabantiam. Hunc Principem nobilitas universa plurimùm dilexit, nec pauci quoque Reges ipsius amicitiam per Legatos petiére; nam erat & miti vir ingenio, & ab omni flagitio ac tyrannide abhorrens. Consuluit suorum commodis, propria negligens; vigilabat, ut suis dormire liceret; laborabat, ut sui in otio vitam agerent; benefaciebat ingratis, etiam non intelligentibus, etiam invitis.

De Pietate ejus in Divos, & Morte.

M Agnum fuisse in illo pietatis ac religionis studium, indicio sunt tot locis
ex

ex ejus ære constructa & erecta monasteria. Lovanii quoque extra muros Percense monasterium hujus est opus, quod postea patrum studio optimorum & agro & ædificiis ditatum est. Is qui nunc in eadem domo & moribus & rebus agendis præest, huc omnes cogitationes, omnia studia destinat, ut & parta quæsitæque à majoribus tueatur, & summo Judici rationem exacturo probetur. Mortuus hic Godefridus, sepelitur Affliginii, quod cœnobium inter Bruxellam & Alostum urbes visitur, ubi est hodiè Fratrum piè sanctèque operantium cœtus.

GODEFRIDUS II.

De Bello ejus cum Henrico Limburgia Principe.

POST defunctum Barbatum, filius ejusdem nominis, posteaquam annum rexisset unum, est cum valida manu profectus contra Henricum Ducem Limburgiæ, qui Lotharingiam ingressus, latè omnia cædibus & rapinis foedabat. Godefridus divi Trudonis oppidum, cujus cives ab Henrici partibus

tibus stabant, circumfedit, ac omni telorum genere sæpiùs oppugnatum postremò in deditiõnem accepit, oppidanis pollicentibus, ne graviora paterentur se imperata facturos, quibus & venia data est, & mutati renovatiq̃ue Magistratus, ejectis Henrici fautoribus & amicis.

De Profectione ejus Aquisgranum, de Bello Grimberganico, de Morte ejusdem.

Hinc citato agmine, Dux Aquisgranum proficiscitur, atque in urbem admiffus, biduum in Cæsario confedit folio, civesq̃ue compulit ut secum arma caperent, ita brevî devictis ac profligatis Henrici copiis, Godefridus cum victore exercitu in Brabantiam rediit. Non multò post & Grimberganicum gessit bellum, sed damno majore quàm fructu; Grimbergani enim Principes hîc omnia recuperare quæ Barbatus illis ademerat. In Chronicis quibusdam legi, per hæc tempora in agro Lovaniensi, nocte quâdam melle rorasse. Moritur inde Princeps Godefridus, cùm triennio & mensibus aliquot præfuisset. Lovanii sepultus in æde Apostolorum Principi sacra.

GODEFRIDUS III.

In cunis deportatus in aciem.

PROXIMI Ducis filius Godefridus nondum erat annum vitæ primum egressus, cum pater decessit. Itaque Grimbergani Principes, qui cura patre & item avo hujus gravia bella gesserant, infantiam Ducis pupilli contemnentes, rebellare cœperunt. Latè vastatus ager Brabanticus. Netelaria arx everfa & solo æquata est. Haud longè distabat hæc domus à Vilvordia, quæ & ipsa tunc temporis non oppidum, sed pagus injectis ignibus conflagravit. Tam atroci injuriâ commoti Nobiles Brabantiæ cum validissimo exercitu hostem infecuti, ad pugnam evocaverunt. Priusquam dimicari cœptum est, infans Dux in cunis prolatus, & ante aciem positus traditur, ut acriùs pugnarent Brabanti. Cùm igitur miseratio eos infantis pueri teneret, quem si bello victi forent, captivum ex Duce facturi videbantur, iis animis hostem sunt adorti, ut magnâ cæde Grimberganos fuderint. Idem multis retrò sæculis

culis fecerant Macedones cum Illyricis dimicaturi.

De Matrimoniis ejus & Liberis.

Godefridus pupillarem egressus ætatem, in matrimonium recepit Margaretam Henrici Limburgiæ filiam, ex qua sustulit filios duos, Henricum, qui defuncto patre factus est Princeps, Albertum postea Antistitem Leodiorum, & filiam unicam Aleydam, quæ Regina facta est Angliæ. Post obitum Margretæ duxit alteram, cujus nomen in Chronicis non invenio, Comitis filiam, ex qua natus illi filius nomine Guilielmus.

De Prodigis illius temporis, & Morte ejus.

Hujus Principis temporibus, non uno loco fame laboratum, multaque prodigia hominum animos conturbavere. Terra horrendè mota locis aliquot, tres Lunæ in cœlo, ac totidem visi Soles. Dux Godefridus tertio & quadragesimo administrationis anno in humanis esse desit. Corpus ejus Lovanii augustissimo urbis templo, quod Barionæ est, illatum, ibique honorificè sepultum.

HENRICUS I.

De Matrimonio & Liberis ejus.

HENRICVS primus hujus nominis, proximi filius Godefridi Brabantia Ducis patri demortuo successit. Uxor ei contigit Machteldis Bolo-
nia Comitis Matthæi filia, ex qua tulisse traditur filios duos, Henricum qui postea præfuit, & Godefridum, filias verò quatuor, è quibus natu maxima, cui Mariæ nomen erat, nupsit Othoni quarto Cæsari. Tres aliæ sunt Principibus traditæ minoribus.

De quibusdam rebus ab eo gestis.

ANNO suæ gubernationis secundo, Henricus evertit arcem quæ vulgò Duras nominabatur. Eamdem sexto post anno rursus inchoatam à fundamentis magno sumptu absolvit. Postea circumfessum ab eo, & oppugnatum est Divi Trudonis oppidum. Hujus causa belli non traditur satis dilucidè ab his, quos in Historiâ scribendâ sequimur. Idem cum Metensis urbis Archiepif-

chiepiscopo Hierosolymam proficiscens, Christianorum adversus Turcarum gentem Princeps declaratur. Hujus itaque ductu, Baruth civitas opulentissima vi capta est, cæde profligatis Turcis. Nec multò post & hoc juvante Constantinopolis expugnatur, quibus ita prosperè gestis, magnam consecutus celebritatem nominis rediit in Brabantiam. Anno principatus sui decimo octavo congressus est cum Florentio, id temporis Comite Hollandiæ, & Othone Gelrio, utrumque cepit eo prælio, utrumque post compositam pacem, generum sibi ascivit.

De Oppugnatione Leodii, & servitia militari in Cives.

SUceptæ administrationis anno vigesimo octavo ex tota Brabantia militem stipendio conduxit, cum quo Leodium profectus, urbem dies aliquot bellicis operibus extrà intraque ferociter oppugnatam cepit. Multi mortales omnis sexûs intra muros cæsi ab irato milite, multi non solum natu grandes, verum & puerili (horresco referens) in amnem præcipitati. Hinc conversus hostis ad templorum spoliationes, altaria quoque tinxit ac cœdavit huma-

no sanguine, ut nusquam non extarent
ejus insanix vestigia. Tongrinum quoque
direptum ac flammis datum, & vastatus
ager; sed revertentem exercitum justâ nu-
minis irâ felicitas prior deseruit. Cum ar-
mata enim manu Leodiensium Antistes in-
fecutus & acie congressus, duo Brabanto-
rum millia occidit, qui magnâ parte Lov-
nienses erant ac Lyrani, multos etiam cap-
tivos abduxit; Henricus & ipse periclitatus,
agrè cum paucis effugit.

*De altera Vxore Henrici, & obsidione
Bruxellæ per Hollandia & Flan-
dria Comites.*

VXorem deinde duxit Mariam Philippi
Gallorum Regis filiam, cùm priorem
Machteldem ex morbo amisisset. Non
multò post Bruxellæ oppido Brabantix a-
gentem eum gravi obsidione sunt adorti
Comites Flandrix ac Hollandix, & Sael-
bergo Princeps, frater hic erat Anglorum
Regis. Causam obsidionis invenio fuisse,
né Henricus socero Gallo, cum quo his bel-
lum gerebatur, auxilium ferret. Hoc loco
majore aliquanto obsidentium strage pug-
natum, & cùm dies aliquot vim hostium
fortiter sustinisset Henricus, animo repen-
tè

tè mutato Flandrorum Comiti promisit, numquam se post illa, nec bellico apparatu, nec pecuniâ opitulaturum Gallo, atque ita compositis & pacatis omnibus soluta obsidio est.

*De Nuptiis Othonis quarti Imperatoris, &
Bello indicto Gallorum Regi,
postremò de Morte Henrici.*

ANno ab humanæ salutis exordio millesimo ducentesimo decimo quarto Imperator Otho nominis hujus quartus, venit Trajectum ad Mosam, duxitque uxorem Henrici Brabantia Principis filiam Mariam. Gallorum Regi postea bellum unâ cum Flandria Comite indicit, ad quod gerendum adjumento fuit Henricus. Itaque cum ingentibus copiis egressi, castra fecere non longè à Tornaco. Gallus ubi videret longè se viribus imparem, dicitur sacram ingressus ædem lachrimantibus oculis, in causa justissima divinum implorasse auxilium. Secutus inde cum robore copiarum ad hostem suum pertendit. Hic pugna acerrima pugnata est, tegi cælum telis volantibus, equorum strepitu concursuque terra horrendè mota est. Innumeri hoc prælio cecidere, crudelis ubique luctus, ubique pavor,

& plurima mortis imago ; Galli ad postremum egregiè vicere , captis etiam quatuor exercituum Ducibus , inter quos Flandriæ Comes , Otho Imperator , & Henricus , viri impigri , cùm strenuè aliquamdiu restitissent hosti , amissâ exercitus parte multò maximâ , cum paucis fuga elapsi , consulunt salutem suâ . Non multò post Henricus & fidei hostibus cæsis , principatum suum memorabilem reddidit . Anno proximè insequenti , morbo correptus gravissimo , Coloniæ Agrippinæ fatalem obiit mortem , cùm annos quadraginta octo rerum potitus esset . Corpus illatum sepulchro Lovanii in æde sacra Petro Apostolo , visitur erectum medio choro monumentum .

H E N R I C U S II.

De Liberis ejus . Item Cœnobium Vallis-dra-cis apud Lovanium , unde nomen acceperit , & à quo sit conditum .

DEFUNCTO patre , Brabantia Principatum tenuit Henricus filius , quem magnanimum video à quibusdam appellatum . Ex Maria uxore quam acceperat , Philippi Romanorum Regis filiam,

liam, nati huic filius nomine paterno, & filiaë quatuor. Natu maxima quæ Machteldis vocata est, nupsit tunc temporis Gallorum Regis fratri. Altera in Baptifimo nominata Maria virum habuit Ducem à Beyeren. Tertia Beatrix in matrimonium collocata Thuringiæ Lantgravio (ea est dignitas apud Germaniæ populos.) Omnium natu minima, cui Margaretæ nomen fuit, monasticam vitam amplexa, claruit sanctitate in Cœnobio Bernardini Ordinis, locum nominant Vallem-ducis, Lovanio distantem milis duabus, regione amœnissimam. Condidit hoc monasterium Henricus secundus, de quo nunc agimus, videturque sumpsisse appellationem Ducis à conditore Duce. Post obitum Mariæ duxit aliam uxorem nomine Sophiam, clarissimis ortam natalibus; quæ mulier per omnem vitam pauperibus & egenis multa distribuit. Eadem peperit Henrico filium, qui & ipse à sacro Fonte paternum accepit nomen.

De Bellis ab eo gestis.

Hic Princeps ad Rhenum, ad Mosam gessit bella diversa. Coloniam gravi obsidione fatigavit, non potuit tamen expugnare. Cum cæde igitur suorum inde re-

jectus, incensis omnibus villis ac ædificiis quæ circa urbem visebantur, abiit. Henrici hujus temporibus vixerunt, Albertus cognomento Magnus, Thomas Aquinas Prædicatorij Ordinis, viri ambo insignes; in Colonia Agrippina ille, hic Parisiis professus est sacras litteras.

Quomodo Romanum Imperium sibi delatum recusaverit, & morte ejusdem.

INnocentius quartus Pontifex Romanus, ubi Fredericum secundum, hominis (ut quidam scribunt) calliditatem pertæsus, abdicasset Imperio, ad Henricum Brabantia Ducem litteris datis, eum rogavit, ut rerum Imperii gubernationem susciperet: quod Henricus fortunâ contentus suâ recusavit. Guilielmum Hollandiæ Comitem ac sibi ex sorore nepotem Romano Principi commendans, quæ commendatio effecit, ut post Henricum Turingiæ Lantgravium, qui Frederico successit, Guilielmus sit Romanus Rex declaratus; de cujus cæde apud Frisios dixi in eo libello, quem de Hollandiæ Comitibus seorsim edidi. Henricus de quo agimus hoc loco ingentis animi Princeps, vitâ functus est anno gubernationis Brabantia vigesimo secundo; corpus ejus sepul-

sepulchro illatum in Monasterio, quod linguâ nostrate Vileer dicitur.

HENRICUS III.

De ejus Vxore, Liberis, & quibusdam aliis.



ENRICUS tertius, qui patri suffectus est junxit sibi matrimonio Aleydem Burgundia Ducis filiam; ex qua suscepit filios tres, Henricum, Ioannem, Godefridum, filiam unam Mariam, quæ postea nupsit Gallorum Regi Philippo nominis hujus tertio.

Præfuit hic Princeps ut bonus rector, benignus vir, ac facilis, & ad promerendam omnium gratiam natus. Pacem toto administrationis tempore coluit. Sed optimum ac nobilissimum Ducem, nostris hominibus invidentia fata è medio sustulerunt, cùm annos rexisset tantùm tredecim. Uxor postea aliquamdiu sanctissimè administravit, filiis adhuc impuberibus. Uterque sepultus Lovanii in Cœnobio à se condito Prædicatorum, ad partem dexteram aræ maximæ.

IOANNES I.

*De Principatu ejus, & Discordia inter
Lovanium & Mechliniam.*



ANNO 8. ab obitu Henrici,
 Primores civitatum Ioanni
 secundo filio Principatum
 Brabantiæ deferunt; nam
 Henricus natu maximus, ob
 naturę vitia quædam, idoneus
 non erat ad gubernandum. Hic postea
 consilium secutus Mechliniensium Princi-
 pis, viri prudentis, vitæ dedit se monasti-
 cæ, unde maxima est orta discordia inter
 Lovanienses & Mechliniæ Principem. Lo-
 vanii Cives injuriam factam Henrico dice-
 bant, qui si parum erat ipse idoneus ac ha-
 bilis ad gubernandum, per alios rerum pe-
 ritos viros gubernare potuit. Hæc tum e-
 rat sententia Lovaniensium. Paulatim res
 eò processit, ut & portas claudere sint ausi,
 cum matre Aleyda appropinquanti Ioanni.
 Per idem tempus exisse traduntur Lov-
 nienses in agrum Mechliniensem, ferro
 flammâque omnia conculcaturi; quod
 cum Princeps loci audisset, confestim e-
 gressus

gressus cum suis, ad pugnam se expeditivit. Certatum est atrociter, ac tandem inclinavit eò victoria, unde plus roboris fuit. Auxiliariis urbium aliarum copiis adjutus Mechliniensis, Lovaniensem fundit, fugatque.

De Vxoribus ac Liberis ejus.

Post hæc Joannes Lovanii quoque Principatum suscepit. Margaretam Philippi Galliarum Regis filiam in matrimonium acceptam dilexit unicè, quæ postea doloribus partûs extincta est. Inde duxit alteram ejusdem nominis, filiam Guidonis Flandriæ Comitis; ex qua tulit filios, Joannem & Godefridum, quem amisit admodum juvenem. Natæ filia totidem, quarum uni Margaretæ, alteri Mariæ nomen inditum est.

*De Bello gesto cum Archiepiscopo Colonien-
sium, & ejus Victoria.*

Obierat mortem Henricus Limburgiæ Princeps: quo nuntio ad se perlato, Joannes Dux Brabanticus, eò ad publica negotia componenda proficiscens, (emerat enim legitimè eam terram)

Gel-

Gelriorum Comite Raymundo objiciente se cum haud invalida manu, ad exitum perducere non potuit, quod animo conceperat. Magno studio contrahebat undique auxiliares copias Geldrus ad bellum inferendum Brabanto, in fociis erant Colonienfium Archiepiscopus, Henricus Comes Lucenburgenfium, Walranus Valkenburgus Princeps. Quæ conspiratio tantum abest ut deterruerit Ioannem, ut confestim etiam cum armato milite, in Archiepiscopi loca tumultuosè irrumpens, omnia latè vastaverit. Pax deinde, sed frustra mota est. Ægerrimè ferebat Dux Ioannes, quòd Trajectum ad Mosam (qui componendæ pacis locus fuerat constitutus) Gelricæ Princeps venire contempfisset. Ad hæc nuntiabatur, eundem Lucenburgenfium Comiti, acceptâ ingenti pecuniâ Gelricam terram vendidisse. Ioannes igitur irarum plenus, cum multitudine armis instructa, in terram Valkenburgensium proficiscitur, Colonienfem (cui maximè infensus erat) obfessurus. Ille verò ubi vidit hostem sibi imminere, fugam cepit; quem Dux per montes ac sylvas infecutus, omnem ipsius terram est fœdissimè depopulatus. Brevi post Colonix Civium, & Principis Juliacenfis rogatu venit ad obsidendam arcem Woronc

(ita

ita enim vulgò dicebatur.) Nam hinc quotidie sceleratorum manus excurrere, pecuniâ negotiatores, aliisque mercibus exuebat, quæ res multum incommoda fuit circumjectis emporiis. Ad arcendum Ducem, Coloniensis validissimum paucis diebus contraxerat exercitum, & auxilia ab his, qui Ioanni ex confesso adversabantur; jam non procul aberat hostis ab arce, cum certior factus de eius adventu Brabantus, magno animo processit obviam, suosque brevi oratione, ut eo die strenuam sibi navarent operam, hortatus, canentibus signis in adversam procurrit aciem; secutus miles ferociter dimicat, protractaque in vesperam pugna, vicit tandem Brabantus. Ceciderunt ex Ducibus, qui Antistiti venerant auxilio, Henricus Lucenburgenfis Princeps, fratres eius tres, & alii plerique illustres viri, Antistes captus, & cum eo tota ferè nobilitas. Cæse multitudinis numerus parum iniri potuit. Satis constat multo plures ex Archiepiscopi exercitu quam Brabantico cecidisse. Hanc victoriam adeptus Ioannes, arcem diruit, dirutam solo æquavit.

*De Animadversione in quemdam Petrum,
cognomento Brosenium.*

Biennio post, prædives quidam in Gallia Petrus cognomento Brosenius, Ioannis hujus sororis (quæ Philippo tertio Gallorum Regi nupta erat) amore incensus, cum illâ semper congressum ejus declinante, libidinem suam explere non posset, eam apud Regiam Majestatem, cui longè charissimus erat, criminis detulit, nescio quid commentus fœminam perpetrasse, tantumque effecit, ut jussu Regis in custodiam abducta, de vita periclitaretur. Ad quem tam atrocem nuntium excitus Joannes, Parisium properat, ubi soror custodiebatur, hic re diligenter investigatâ, & sororem falsò delatam liberat, & Petrum delatorem laqueo necat.

De Obitu Aleyda conjugis Henrici tertii.

Anno qui erat ab ortu Christi millesimo ducentesimo octuagesimo tertio moritur illustrissima mulier Aleydis, mater Ioannis Ducis & uxor tertii Henrici, sepulta Lovanii, ut alio dictum est loco. Hæc mulier in vita multùm dilexit, & omnibus
offi-

ciis benevolentiae profecuta est Thomam Aquinatem, Prædicatorii nominis virum, (ut antè dixi) ad quem Parisiis agens frequenter scripsit, consulens eum per vias, quibus rationibus in hoc mortalitatis pelago, cælestem sibi patriam demereri posset. Ioannes inde filiam suam Margaretham virginem egregiâ formâ nuptum dedit Henrico Lucemburgensium Comiti, Henrici filio, qui in pugna fortiter occubuit, non procul ab arce Weronic. Junior Henricus, postea factus Romanorum Imperator, in Italiam transcendit.

*Nuptiis filia Anglorum Regis, & Morte
Ioannis Ducis.*

Iaud multò post celebratæ magno apparatu nuptiæ Anglorum Regis filia, quas Ioannes quoque profectus cum pulcherrimo equitatu, incredibili omnium lætitiâ excipitur. Per eos dies, ut in publico studio fieri solet, concursus est hastis. In hoc certamine Dux idem, dextro an lævo latro machio incertum est, lethale vulnus accepit, quo paucis post diebus vitâ decessit. Cuius morte vulgatâ, major quàm credi possit strages, totam Brabantiam occupavit. Egerunt enim clementem, pium, & beneficum Prin-

Principem. Cujus defuncti corpus adve-
ctum Bruxellam sepelitur in æde sacra Mi-
noritanorum, qui per ea tempora viri erant
multum Christo dediti, non convivantes,
non scortantes, neque miscentes se huma-
nis negotiis.

JOANNES II.

De matrimonio ejus.



ATRE mortuo, Joannes II.
Principatum adeptus, filiam
Regis Anglorum Eduardi I.
in matrimonium accepit. Huic
nomen erat Margaretæ, ex quâ genitus
illi filius. Luculentum illud in arce Vuer-
rensi deambulatorium (vulgus Aulam di-
cit) hujus Principis est opus.

De Bello regis Gallorum adversos Flan- dros.

IN hunc Principatum incidit atrox bel-
lum quod Philippus hujus nominis quar-
tus, Rex Galliarum gessit adversus Flan-
driæ populos. Causa belli fuit, quod Guido
ejus terræ Princeps filiam Philippam, quam
de

de sacro fonte levaverat Gallus, filio Edwardi regis Anglorum nuptum dare statuisset. Agebat ea tum in Galliis apud Regem susceptorem suum. Is igitur cum conjugē, proceribus, & manu valida ingressus Flandrorum fines, complura oppida expugnat, ac paucis inde diebus totam Flandriam in suam potestatem redegit, capto prius Guidone cum filiis duobus. Flandriæ sic domitæ atque subactæ, præficit Comitem Jacobum quemdam Simpolium, cujus tyrannidem pertæsi primùm Brugeses, deinde cæteri omnes rebellarunt. Brugas venerat Comes, animadversurus in quosdam, qui graviter ut illi videbatur deliquissent, cum subito ad arma consurgens multitudo penè omnes occidit: Comes ægrè cum paucis evasit. Nec multò post apud Regem questus de vi illatâ effecit, etiam ut ex toto suo Regno ille ad evertendam Flandriam numerosissimum conscripserit exercitum, cui præfecit Comitem Arthesiæ, virum acri ingenio & gloria militari florentem. Pervenit is cum omnibus copiis in agrum Cortracinum, sperans fore ut brevi omnia ejus terræ oppida caperet. Sed ut in cæteris rebus, ita in bello maximè solet variare fortuna, Duces exercitus Flandrorum, suos hortati, ut pro se,

se, pro conjugibus, pro liberis, & bonis suis omnibus fortiter dimicarent, cum hoste conflagunt, fit atrox prælium. Flandrica gens pro libertate, pro aris & focis dimicans, aut moriendum putat, aut vincendum: iis erat injunctum, ut initio pugnae fustibus & hastilibus majoribus Gallorum equos occiderent, quod cum strenuè faciunt, adepti sunt victoriam, magna vis Gallorum perempta est. Quidam tradunt hinc periisse totam ferè Nobilitatem Gallici Regni. Post hanc pugnam Flandri multa loca recuperaverunt, quæ antea Gallus ademerat.

De reditu Gallorum in Flandriam & præliis cum eadem gente.

ESt non multò post cum novis copiis Philippus in Flandriam reversus, ubi circa Insulas oppidum dimicatur, pluresque momento temporis utrimque cæsi sunt. Rursus eodem ferè loco à prima luce ad vesperam in acie continuit Flandrum Gallus, ita futurum sperans, ut in mediis caloribus æstatis hostem stando pugnandoque fessum vinceret. Interim commisso prælio multo atrociori quàm pro numero dimicantium, plurimi sunt in utroque exercitu

exercitu occisi, noctis interventus pugnam diremit. Inde Flandris aliis aliò se recipientibus, ut aquæ potu sedarent contractam labore sitim, Gallus suos in equis manere iussos, nocte concubia eduxit, hic manum unam Flandrorum adortus superior fuit. Cæsus in ea pugna Guilielmus Juliacensis, quem Flandri adversus Gallicas acies sibi Ducem elegerant. Hoc successu Philippus elatior factus, obsedit Insulas, adducto secum Guidone Comite, quem captivum habebat. Quamdiu tenuerit obsidio, & quoties oppugnare urbem sit adortus non traditur. Quidam scribunt ea conditione Pacem factam, ut Gallus tantisper oppidum Insulense, & alia quædam loca sibi servaret, donec statutum esset unde quotannis pactam ex Flandria pecuniam reciperet. Ita dimissus Guido, suis omnibus rediit multùm expectatus, sed brevis hæc fuit lætitia. Nam paulò post decessit admodum senex.

De motu civili Mechlinia & Bruxella.

Variis indè motibus agitata Mechlinia, propter sibi ademptas libertates vendendi Salis ac Piscium, & quoniam Imperatoris Henrici Lucenburgenfis favore Antverpia

verpia his ipsis postea frueretur commodis, maximo ejus urbis odio Mechliniensis flagrabat civitas. Auxit malum quod Joanni ad obsidendam Mechliniam, quæ prius portas clauserat venienti, Antverpienses tulerint suppetias. Exiit hæc obsidio in aliquot septimanas per occasionem. Interim egressi Mechliniani subito Antverpiensium invadunt aciem, arrisitque huic fortuna conatui, nam & hostes cæsi magno numero, & qui exierant, ad oppidum rediere, vix paucis amissis. Cum igitur pergerent hunc in modum rebellare, Dux edicto prohibuit, ne quis usquam illos commeatu impertiret, capitale futurum si quispiam hoc tentasset. Sed nec ita quidem subigi potuere, antequam ad fluvium Schaldim haud longè ab arce Ruperamunda cum hoste congressi prælio superantur. Tum demum supplices ipsi, portarum claves Duci tradunt. Quibus acceptis ille partem murorum diruit, habebatque in animo totam urbem nudare munimentis. Sed accepta grandi pecunia destitit. Eisdemque ferè temporibus est & Bruxellæ tumultuatum, sed multò quàm Mechliniæ periculosius, Fabri, Textores, Sutores, Tabernarii, atque omnis illa fæx civitatis eò insanix prolapsa est, ut quorundam primorum ædes dirue-

it, non pauci ex ditioribus metu urbe ex-
cesserant. Princeps eadem discordia con-
urbatus, Vilvordiæ (quod oppidulum di-
cat Bruxella nostratibus milis duabus) se-
continebat cum præsidio. Effusi quodam
die Bruxellenses, venerunt in agrum Vil-
vordensem, quod videntes quidam, dixere
in hoc venisse, ut à Duce veniam pro rebel-
lione peterent, aliis visi sunt hostilia om-
nia minari, posteaquam armati & erectis si-
gnis venissent. Dux igitur cum paucis ob-
viam egressus dimicat. Illi subito hostis oc-
cursu vix incepto prælio in fugam vertun-
tur, qua percussa Bruxellensium civitas de-
structionem fecit.

De morte Ducis Ioannis.

Hic Joannes II. post novendecim Prin-
cipatûs annos periit Vueræ, innato
vesicæ calculo. Sepultus Bruxellæ in tem-
plo S. Gudulæ virginis. Nullus Principum
hoc abhorruit à bellis gerendis, quæ ta-
men si effugere non posset maximo gessit
periculo.

JOANNES III.

De quibusdam gestis ejus.

BONO Patri bonus successit filius tertius Joannes, natus annos dumtaxat duodecim. Cujus initia Principatus multum turbulenta fuerunt, nam propter æs alienum quod Præcessores ejus, Pater & Avus gerendis assidue bellis conflaverant, detinebantur passim Negotiatores, quod non modò privatum, sed & publicum erat incommodum. Repperit tandem huic malo remedium humana industria. Sunt enim polliciti mercatores si dux permitteret, se quicquid deberetur adnumeraturos singulis è sua pecunia, quod ubi est factum, licuit statim unicuique quò vellet citrà ullum vitæ aut bonorum discrimen proficisci.

*De Pluvia decem mensum, & Caritate
Annona, & Pestilentia, & Cometa.*

IN sequenti anno, qui fuit Salutis nostræ
M. CCC. XV. Brabantia & finitimæ regiones afflictæ sunt maximis malis. Post Calendas

ndas Mayas orta pluvia, quæ menses du-
vit plus minus decem. Ex quâ intempe-
e, cùm in agris neque frumentum neque
ia homini & Pecudibus necessaria ma-
refcere possent, summâ rerum omnium
ritate non uno loco cœptum est laborari,
e caritas progressu temporis adèò invaluit,
e quidam prodiderint ab homine nato ma-
rem non fuisse. Mendici in viis, in portis,
o templorum foribus inediâ efflabant ani-
as. Hanc annonam secuta est tanta pesti-
ntiæ vastitas, ut quotidie in singulis penè
pidis sexageni, septuagenivè homines ef-
rentur, quorum alii sexta die, alii tertia,
ulti secunda, nonnulli statim in ipso mor-
adventu extinguebantur. Multitudo om-
s perterrita, in Montes, Sylvas, & loca de-
a fugiens, vacuis errabat in agris, alii in
emplis Divorum aris affixi, divinam im-
orabant opem. Hic filios, ille parentem lu-
bat adèptum, alius Fratrem, alius Sororem
iderabat. Explicari oratione non potest,
anta fuerit ejus temporis calamitas, qui
mitus, quæ lamentationes nocturnæ diur-
que. Per eadem ferè tempora visus est in
lo Cometes diro aspectu, magna luce ra-
s suos emittens. Vulgò putatur hoc pro-
ii summis Principibus exitium, aut bel-
n, aut pestilentiam populo portendere.

De Bello adversus Valkenburgenses.

JOannes bellum suscepit adversus Raynoutum Valkenburgensem, ob affectos incommodo Trajectenses ad Mosam, perductoque in agrum Valkenburgensem exercitu obsedit florentem ac bene munitam urbem Sitterium, huc accolæ omnes pecuniam, aliaque bona sua, ut in locum tutissimum deportaverant. Et intus præsidium erat militare, Ducesque non poenitendi, quorum opera & virtute semel à juvenibus repulsus hostis in castra rediit. Ad postremum tamen urbs dedita est mœnibus, quam deditionem sequuti Harlenses vicini, venire & ipsi in Ducis potestatem; his peractis, copiæ in Brabantiam reductæ sunt. Brevi post inter Joannem & Raynoutum pax composita non diù tenuit. Rursus injuria & damno affectis Trajectensibus, invenio post longas controversias Raynoutum Lovanii custoditum aliquamdiu, sed libera custodia. Vixit hac tempestate vir ingenio & arte medendi eminens Joannes Mandevilius, patria Anglus, qui toto ferè terrarum orbe peragrato, tribus ea linguis peregrinationem conscripsit.

Bello inter Flandria Comitem & Brabantia Ducem.

Eodinus Antistes quod juris habere putabatur in Mechliniensis oppidi Princtu, vendiderat Ludovico Flandrorum niti. Huic cum parere nollent cives, & tionem misissent ad Brabantiæ Ducem ex parte Principem urbis, Ludovicus upatis omnibus bonis, quæ Mechli- sium erant in Flandria, bellum Joanni xit, qui armis defensurus illos videba- Cum Flandro conspiraverant quinde- alii Principes, qui diversis locis Bra- am ingressi, latè omnia ferro & igni verunt. Totos decem menses nihil m quæ ad corporis alimoniam perti- importari potuit. Sic omnes clauferat s hostis. Brabanti vicissim Flandricum m incursantes, universam terram quæ Alostum & Teneramondam est, fœ- populati sunt, abactis Boum, Equo- que armentis. Contigit postea ut quin- ex Flandria delecti Equites, in Bra- æ fines se receperint, Bruxellam, ut antur, obsessuri: quo audito viginti iri Nobiles cum armatis civibus nec- to tempore egressi confederunt, quâ

52 *Chronica Brabantia Ducum.*

Flandris iter faciendum erat. Hic benè gerendæ rei occasionem adepti, invadunt hostium aciem. Fit indè atrox pugna, sed vicit Brabantus: capti centum & quinquaginta Flandri, Bruxellam adducti sunt ad Ducem, quos ille partim Vueram, partim Lovanium custodiendos misit.

De incendio Mechlinia, & pestilentia diversis locis.

IN hunc Principatum incidit oppidi Mechliniensis conflagratio miserabilis. Arserunt Insulæ complures, & Domus Illustrium, & quidquid visendum ac memorabile tum habebat hæc civitas. Est inde pluribus locis pestilentia laboratum, quâ multa hominum millia absumpta traduntur.

De filiis Ioannis Ducis & filia, & morte Ducis.

IOannis hujus tres filij, Henricus, Godofridus, & Joannes maximus natus, omnes sine liberis extincti sunt. Filia ejus Joanna cæteris filiabus annosior, defuncto priore marito suo Guilielmo Hannoniæ atque Hollandiæ Comite, nupsit Wenselao Joannis Bohemiæ Regis filio, hoc ita curaverat
pater,

er, futurum sperans ut amicitia magno-
m Principum, quibus sanguine junctus
t Wenselaus, longam suis relinqueret pa-
n, quod non ita evenit. Joannes haud
ultò post ex humanis decessit, anno Prin-
atus quadragesimo tertio, à Christi ortu
ccc. lv. præcedaneis feriis D. Nico-
Nobilitas mœrore affectâ, corpus de-
cti in Monasterio, quod nostra lingua
leers, sepulchro multis cum lachrimis in-
it. Amiserat enim Principem modestum,
ti tenacem, & Reipublicæ gerendæ ma-
nè idoneum.

WENSELAUS I.

De motu civili apud Lovanium.

POST obitum soceri Wense-
laus Principatum suscepit,
quo imperante Lovanium
bis in motu fuit. Primùm,
quia Præfectus urbis quem-
n in vinculis detineret, quem Senatus in-
tem judicaverat, piscatorio is officio
estum faciebat, qui cum die quodam
rium vim conveheret, haud longè à Lo-
nio hærentem fortè in luto rhedam edu-

cere non potuit ; acceptum igitur ex circumjacentibus pascuis equum adjunxit, atque ita eduxit. Post equo dimisso, & in pascua reducto, ingressus Lovanium, capitur à Præfecto, objicitur ei quòd equum illum furto abduxisset. Multum hinc est ortum mali. Pars civium sequuti Præfectum (erat illi nomen Petro Coterelio) in domum Civicam irruentes, patrum primores captos, in arcem quæ loco urbis editissimo visitur ad muros, perduxere. Hinc plebeis Magistratibus creatis, Petrus fecit pro sua libidine omnia. Plus biennium duravit hic tumultus, cùm facta pace & ad regimen oppidi rursus assumptis Nobilibus, qui toto eo tempore in arce captivi manserant, Duci multa sunt millia ex ærario adnumerata, qui & durànte motu haud semel à Coterelio pecunia corruptus fuerat. Nonnulli tradunt hujus parte pecuniæ ab eo extructam arcem Vilvordianam quæ nunc situ & opere est munitissima : de altero motu ac discordia ejusdem populi suo loco dicetur.

De Bello adversus Juliacenses , & captivitate VVenselai.

Bellum gessit postea cum Guilielmo Juliacensium Marchione, ob exutos pecunia negotiatores Brabantos, qui per terram Juliacensem iter fecerant. Congressæ igitur acies maximo ardore conflixerunt, initio pugnx confossus jaculo Gelriæ Princeps, ex acie deportatur mortuus. Brabantii victores hoste fugato, cum nihil metuerent amplius, cibo ac potu refectis corporibus, somno opprimuntur, oppressos ac altum dormientes subito adorti hostes interficiunt. Dux ipse cum aliquamdiu se tenuè defendisset, capitur cum plerisque proceribus. Nunciavit hoc fama uxori, quæ non dici potest quantum ex ea re dolorem animo conceperit. Audivit & Carolus Cæsar hujus nominis quartus fratrem suum captivum esse. Quamobrem convocatis Imperii Principibus, agere cœpit de Guilielmo, qui captum tenebat Wenselaum per aris sententiam bonis privando. Quâ re irritus Juliacensis, illum custodiâ dimisit, tentis adhuc proceribus. Quos ut redimet Princeps, ingentem exegit à suis pecuniam, quâ impetratâ & cæteris compositis rebus

rebus in aliquot deinde annos à bellis quievit.

De Caroli Bohemi Casaris adventu in Brabantiam.

INterea Carolum Bohemum Cæsarem Germanum suum in Brabantiam venientem, multâ lætitiâ & gratulatione Wenfelaus excepit, prandiis ac cœnis exhibuit sumptuosissimis, interim nullo non ludorum genere in ejus honorem edito; discedentem post aliquot dies in Galliam usque deduxit, inter valedicendum prospera & secunda omnia precatus, Bruxellam rediit.

De alia discordia civium Lovanii.

PEcuniæ exactio cujus mentionem feci, causa fuit motus novi apud Lovanium, plebs conspirans adversus primores, omnem mutavit regiminis formam, ex suo corpore creatis Magistratibus. In quo statu prope exacto triennio, Bruxellæ occiditur intestinæ hujus discordiæ princeps, cum ad conventum ab Duce indictum eò venisset: auctor cædis fuit Joannes Caisterius vir nobilis, qui metu vulgi Lovanio profugerat.

fugerat. His igitur accensa multitudo in curiam venit, primores numero sexdecim (ut quidam tradunt) fenestris ejectos, alii foris manentes infestis hastis excepere, cæteri sine venia, sine misericordia, sine respectu interfecti sunt. Hanc sævitiam pertæsus Wenselaus, copias Lovanio admovit, ut urbe captâ civilis motûs auctores supplicio afficeret. Post septem verò hebdomadas in urbem quam expugnare non poterat, cum paucis admissus, principes seditionis in exilium eiecit. Unus clari nominis Joannes Suarterius, qui & ipse plebem concitaverat, gladio subiectus est.

De morte Wenselai, & eodem caso matris utero.

Hinc Bruxellam Dux reversus cum aliquamdiu spectaculis, equorum certaminibus, venatu & pilâ, quâ optimè usuisse traditur, atque aliis lusibus se recreasset, Lucenburgum proficiscitur, ubi non multò post obiit: sepultus in Oryvalensi Monasterio, quod illis in locis antea constitutum, ipse quoque proventibus annuis litavit. Invenio hunc casum fuisse matris utero, quæ nec ullum inde acceperit corporis incommodum.

De luctu uxoris ejus, & bello quod adversus Gelria Ducem gessit post obitum mariti.

BRuxellæ agenti Joannæ renunciatum est de obitu conjugis sui Wenselai, quem ut in vita multum amaverat, ita sibi ereptum atque sublatum diu multumque luxit. In tam gravi vulnere dolorem haud facile positura, nisi patriæ suâ operâ & studio opus esse vidisset. Itaque gubernandi onere suscepto, multa prudenter, multaque gnaviter egit. Indictum sibi à Principe Gelriæ bellum ita gessit, ut cum ille congregari non auderet, victrix abierit. Causa bello prætenfa, quod Buscumducensium Præfectus quemdam ex Gelrii Ducis familia parricidii convictum gladio subjecisset. Fato ac naturæ concessit hæc mulier nobilissima, humanæ salutis anno, M. CCCC. VI.

ANTONIUS I.

quomodo ad Brabantia Principatum pervenerit.

NUNC videamus quâ viâ & modo, ad Brabantia Principatum pervenerit Antonius, qui post obitum Joannæ administravit. Joanna tertii Joannis Brabantia Principis filia, uxor Ducis Wenselai, sororem habuit Margaretam: quæ nupta Comiti Flandriae Ludovico, filiam illi peperit sui nominis. Hæc nuptum experta matrimonium, datur postea Philippo audaci Burgundia Principi, filio Joannis Francia Regis cognomento Boni. Is igitur Philippus ex hac uxore filios genuit, Joannem, Antonium, & Philippum. Philippo utpote natu maximo Burgundia Principatum reliquit. Antonius qui inter Joannem & Philippum medius erat filius, durante id patre, sufficitur in Brabantia Ducatu magnæ materteræ suæ Joannæ, quæ sine liberis defuncta erat.

De his qua initio Principatus fecerit Antonius.

ANtonii patre Philippo Burgundionum Principe geniti maternum simul ac paternum genus ab Regibus ortum. Hic à suscepto Brabantiæ Principatu , acerrimus extitit punitor hominum sceleratorum , præcipuè parricidarum , & qui pauperes opprimerent. Floruit , & in optimo statu fuit res Brabantica sub hoc Principe tam studioso æquitatis , quâ sublatâ è medio stare non potest hominum societas.

De Matrimonio ejus & Liberis.

IN matrimonium accepit Joannam Simpoliam , in qua muliere cum forma excellenti ac generis claritudine , probitas morum ex æquo certavit ; liberos habuit ex hac conjuge Joannem & Philippum filios , & filiam quæ juvenis decessit. Anno gubernationis Brabanticæ primo , uxorem ex valetudine amisit , quam cum unicè ac perseveranter vivam dilexisset , etiam defunctam honorificentissimè extulit , corpus Vueram deportatum atque ibi loci sepultum.

De

*De duobus illustribus viris & eximiis
Theologis.*

A Pud Parisium eadem tempestate clauerunt eximii duo Theologiæ Professores; Petrus ab Aliaco, postea factus Antistes Cameracensis & Cardinalis; alter Joannes cognomento Gerson, ejus scholæ Cancellarius, utriusque studiorum piè ac utiliter edita monumenta ad posteros manarunt. Per idem tempus apparuit stella crinita, inusitatâ magnitudine, prodigium id portendit cædem Ludovici Ducis Aurelianensis, bellum Leodinum, quæ brevi post sequuta sunt mala.

De motu exorto apud Leodinos.

TOta Leodiensium Regio maximis motibus obnoxia fuit, ob duos electos Antistites. Trajectum ad Mosam ubi agebat electus alter bis obsessum à Leodinis; posterior obsidio hebdomasas sexdecim tenuit. Non multò post magnorum Principum armis ac viribus adjunctus electus qui Trajecti erat, Joannes à Beyeris contra Leodinos egressus, magno eos prælio superavit, cæsis quadraginta millibus, & in his
Theo-

Theoderico Peruesio quem altero dejecto, illi ad Episcopatus dignitatem promoveri sunt conati. Victor Joannes Leodium ingreditur, sumpto de his supplicio qui partis adversæ fuerant.

De Matrimonio ejus & Dote.

DUxit postea Antonius uxorem Elizabetham, & hanc excellentissimam formam mulierem, Bruxellæ pompâ & apparatu planè regali, in Ducaria domo celebratæ nuptiæ. Dotis nomine accepto Lucenburghensi ducatu, Antonius cum valido exercitu agrum ejus gentis ingressus, eos qui parere novo Principi recusarent, brevè ad obsequium redegit, partim bombardarum ictibus disturbatis castellis, partim armata manu captis, aut igni absumptis, item cæsis magna copia Ducibus.

De virtutibus ejus in bello, & Sigismundo Rege Romanorum.

Hic Antonius vir acer fuit ac strenuus, in excitando milite ad pugnam nulli secundus, & hostium nullis copiis unquam deterritus, prælium primus inibat, victis indulgens si veniam petissent, in omni re agenda

agenda solers, & labore infatigabilis erat. Post domitos atque subactos Lucenburgenfes Aquisgranum venit cum decem millibus equitum Sigismundus Rex Romanus, ubi coronâ de more donatus, aliquot mansit hebdomadas, Antonii Brabantia Principis congressum operiens. Qui cum non veniret (amici enim dissuadebant) ex Aquisgrano Coloniâ Sigismundus proficiscitur, de quo Principe illud in primis dignum memoriâ, quod ipse studio latinæ linguæ deditus, sæpè graviter accusaverit Germaniæ Principes, qui sermonem latinum odissent, aut linguæ pulcherrimæ Gallicum, aut aliud quodvis idioma præferrent.

De cade Antonii.

ANno à Christo nato M. cccc. xv. Angli, nescio quam belli causam adversus Gallum prætendentes, cum valida manu egressi, juxta Morinum confederunt, nec multò post cum hoste circa Blangium (viculus hic est non longè à Morino dissitus) pugnatum vtriusque cruento quidem Marte, sed à Gallis multò magis. Periit hoc congressu cum multis aliis nobilissimis viris Antonius Brabantia Dux, qui Gallorum
Regi

Regi auxilio venerat, alios in potestatem redactos, victor Anglus crudeliter necavit. Antonii corpus tertio die repertum inter jacentium cadavera, deportatur: exceptum primo honorificè à Tornacensium Episcopo, inde Bruxellam delatum, ponitur in templo divæ Gudulæ sacro. Hic celebratis de more exequiis, non sine gravissimo totius Aulici ordinis & patriæ dolore ac lachrymis avehitur Vueram, ubi sepultura datum est, juxta monumentum prioris conjugis Joannæ Simpoliæ, cujus alio fecimus loco mentionem.

JOANNES IV.

De Conjugio ejus.

Duo superstites liberi Antonio fuere, Joannes natu major, tamen annos dumtaxat natus tredecim, Brabantia Principatum adiit. Annum agens sextum decimum, uxorem accepit Jacobam filiam Ducis Guilielmi à Beyeris, comitis Hannoniæ & Hollandiæ. Fuit aliquamdiu inter eos mutuus amor. Evenit postea discessio, cujus invenio causam fuisse,

se, quòd proceres qui marito adhuc juveni præerant, suo arbitrio mutatâ omni regiminis formâ, & submotis, quibus ab ineunte ætate mulier assueverat, pedissequis, alias illi & ignotas dederint, quod, quàm iniquo tulerit animo, fatis inde colligi potest, quòd sub id tempus in Angliam trajiciens, illic vivo adhuc Joanne, Duci cuidam Clocestrio nupserit, fratri ejus qui tum in Insula regnabat.

*De Adventu Clocestrij cum exercitibus
in Hannoniam.*

Tot inde sunt orta diffidia, tot secuta certamina, varioque eventu depugnata, Clocestrius contracto in Anglia exercitu, Caletum pervenit cum Jacoba. Inde ad occupandam uxoris nomine Hannoniam proficiscitur. Et multa jam loca sibi subjecerat, cùm Joannes Dux Brabantiæ veritus ne simili casu Hollandiam quoque & Zelandiam amitteret, undique amicorum Principum fide imploratâ præfecit gubernandæ Brabantiæ fratrem suum Philippum, in rebus gerendis solertem, & laboribus infatigabilem virum. Ipse inde profectus ab Hollandiæ, Frisiæ, & Zelandiæ populis ita excipitur, ut tam prompta humanitas

magis & benevolentia singularis efficere potuerint, ut animo æquiore toleraret mala omnia, quibus uno tempore circumvalabatur.

De Incurfione hostium in Brabantia agrum.

Clocestrius ubi audisset in Brabantis fidem cessisse, Hollandiæ ac Frisiæ civitates ilicò emisit armatam manum, quæ in Brabanticum agrum tumultuosè effusa, in miseros agriculas, nullum ferè crudelitatis genus non exercuit, violata templa, per omnem sexum evagata cædes, ad stuprum raptæ virgines. Facti his de rebus certiores, qui primariâ potestate in Brabantia gubernabant, Ducis permissu Nivellas cum instructo ad hostium motus inhibendos exercitu miserunt Principem Wesmalium, & Joannem Glimes cognomento, qui strenuè defensis finibus, interim sæpiùs levia quædam prælia cum hoste commiserunt.

*De Victoria adversus Clocestrium apud
Braniam Comitis.*

Firmaverat Clocestrius militari præsidio Braniam Comitis (ita enim vulgò nomi-

nominant id oppidulum) unde miles subinde excurrent, Brabanticum agrum ferro flammaque fœdabat. Itaque die quodam, Wesmalius & aliquot alii cum suis copiis ad Branixæ muros accessere. Quod videntes Angli, qui locum præsidio obtinebant, plenis repente portis effunduntur, vix tentato prælio, simulat fugam Brabantus, donec longiùs ab oppido extractam videt Anglorum aciem, hic circumactò celeriter agmine, in hostem revertitur, fuitque id prælium multò prioribus atrocius. Multi quidem Angli cæsi sunt, multi graviter vulnerati, multi etiam capti, cæteri in urbem trepidi sese recipiunt.

Obsidio Brania, & ejusdem deditio.

Non multis inde diebus interjectis, tota Brabantia in Anglos arma induit. Ab Trajectensibus ad Mosam, à Philippo Burgundionum Principe, qui nepos erat Ducis Joannis, ab Tornacensibus auxiliares copix adfuerunt. Exercitu lustrato, recensâ traduntur, præter Burgundi & Tornacensium appendices, millia hominum sexaginta. Cum his viribus Ducis frater Philippus, rei bellicæ vir scientissimus, Braniam circumfedit, cum omnia priùs circa

circa urbem populatione & ignibus afflixisset. Jam complusculos dies obsidio tenuerat, cum propius accedens oppugnare oppidum est adortus, etsi opere ac natura egregiè munitum, strenuè autem se defendentibus Anglis, plurimi è nostris muro dejecti, periere. Noctis interventus prælium diremit. Postridiè ab his qui intus erant pax frustra tentata est, recurrere ad arma cupientibus Brabantis, & jam atrocior fuisset hostem adorta oppugnatio, nisi ultrò positis armis se dedisset. Ita redactum in suam potestatem oppidum, Philippus incendio absumpsit. Ex Braniensibus, qui fuerant defectionis ad Clocestrium auctores, alios laqueo necavit, alios gladio subjecit.

Ejectus Hannoniâ Clocestrius.

DEletæ atque everfæ Branix fama, percussæ Hannoniensium urbes aliquot, statim mutatis animis, Clocestrium eiecere, quo factò in gratiam sunt à Brabantò recepti. Post tam lætam victoriam egreditur cum suis Philippus ad reliqua Hannoniæ oppida recuperanda; sed maximo nivium casu, & continenti pluviâ repulsus in itinere substitit. A Clocestrio venit interim Legatus, nuntians mox adfuturum

rum illum, ut cum Philippi copiis dimicet, verum expectatus quadriduum totum, non venit. Haud multo post abeuntem Brabantum, infecuta est alia manus Anglorum, ut sic improvisum opprimeret. Non est tamen hoc loco dimicatum, fugientibus Anglis, cum primum vidissent hostem egregie ad pugnam instructum.

Jacoba ex Hannonia Gandavum devesa.

ANno dominicæ Nativitatis M. cccc. xxv. Joannes Brabantie Dux obsedit Bergas in Hannonia, ubi tunc temporis Jacoba cum suis manebat. Adhuc tenente obsidione Philippus Burgundie Princeps venit Duacum, ubi collocutus cum Joanne Principe, consilium dedit, ut auctor & causa belli totius Jacoba in Burgundiam aveheretur, donec Romani Pontificis decreto ad maritum suum ipsa redire cogeretur. Sensit agi inter Principes mulier de se traducenda: veniens igitur in exercitum Ducis, Engelbertum Nassavium lachrymantibus oculis rogat, ut is apud Joannem Principem efficiat, ut sibi in oppido aliquo, aut arce Brabantie liceat manere, quod non impetravit. Devesa Gandavum, Valencenas Dux ingressus, magno Civium favore

vore & Officiorum frequentia accipitur. Misit postea Bergas Hannoniæ duos è Proceribus, qui suo nomine & ejus urbis acciperent Principatum.

De pralio memorabili in Zelandia, & quibusdam aliis.

Eodem anno, mense Julio, allatum est Clocestrio ad reparandum bellum, promissa ab Anglis octies centum millia aureorum, adhæc xx. millia armatorum peditum. Promisisse ferebatur & Scotus auxiliares copias. Itaque rebus aliis omiſſis Dux Brabantus, Hannoniæ urbes & arces, validis firmat præſidiis, simul ad cognatum suum Burgundiæ Principem litteras dedit, quibus ille certior factus, Glocestrium Ducem totis viribus bellum renovare, Joanni rescripsit adfuturum se cum exercitu, si quid Anglus hostile fuisset molitus. Joannes cum se videret non sufficere tot gubernandis Provinciis, Burgundum Hannoniæ præfecit & Zelandiæ. Per idem tempus Jacoba clanculum se Gandavo subduxit in Hollandiam, ubi cum faciliè ejus terræ Nobiles viros aliquot, & nonnulla etiam oppida ad sui obsequium retraxisset, intellectâ re Clocestrius, misit ex Anglia classem

in Hollandiam ductu Principis cujusdam Filuvaterii, qua classe defenderet se & suos Jacoba. Non multo interjecto tempore cum Dux Burgundiæ Philippus, quem Joannes Hollandiæ præfecerat, audisset in Zelandiam applicuisse naves Anglorum ad Insulam expugnandam, noctes diesque itinere continuato accurrit cum manu validissima. Hic totis viribus uterque Dux in aciem descendit; fuit ab initio anceps certamen, ad postremum Burgundus egregiè vicit, cæsis tribus Anglorum millibus, ex omni ætatis flore selectis. Commissum est prælium hoc memorabile in agro pagi percelebris, qui nostrate linguâ dicitur Brouwershaven, ad annum salutis millesimum quadringentesimum xxv. Páucis post diebus Romæ declaratum à Cardinalibus, Jacobam sine justa causâ fecisse cum Joanne divortium, quo accepto nuncio, Cloestrius aliam duxit uxorem. Jacobam tamen Joannes non recepit, posteaquam supremi ordinis Antistitibus visum est ad publicam quietem conducere, ut illa ad certum tempus servaretur apud Sabaudiæ Ducem cognatum suum.

Conditum Lovanii Gymnasium.

INannes tot bellis defunctus, cùm esset
 • **O**mnis Religionis bonarumq; artium vir
 amantissimus, Lovanii Gymnasium viris
 undique doctissimis accersitis instituit. Qui-
 dam scribunt eum rogatu Primorum ci-
 vilitatis hoc fecisse, ne intestinis aliquot cer-
 taminibus, diminuto Civium & artificum
 numero, urbs in posterum deserta mane-
 ret. A Martino quinto, ea tempestate Ro-
 mano Pontifice impetrata privilegia, qui-
 bus usque in hodiernum diem utitur hæc
 schola. Initio conditi Gymnasii licebat in
 omni genere disciplinarum profiteri ac do-
 cere, præterquam in Theologia, sed postea
 est impetratum, ut & hujus studii Professo-
 res, in eadem schola publicitùs docerent.
 Professio inchoata est Calendis Septem-
 bribus, aut ut quidam volunt, pridie nata-
 lis Deiparæ, Anno Incarnationis Dominicæ,
 M. cccc. xxvi.

*Quibus incommodis Iacoba Hollandiam
 affecerit.*

VNo extincto incendio plerùmque na-
 scitur alterum. Manebat Schoonhovix
 oppido

oppido Hollandiæ Jacoba, cùm & solertiâ quadam pertractis ad se Goudanis Civibus armato milite non parùm affligeret ejus terræ civitates quæ adversæ partis erant. Jacobæ se adjunxerat Princeps Sevenberganus, & ipse terrâ marique Hollando infestus. Quo audito, Burgundus reduxit ea in loca exercitum, ac Sevenberganos arctissimè obsedit, pecuniæ interim haud parvam summam promittens Sevenbergæ Principi si bello absisteret. Quod ubi constanter negaret se facturum, & jam propiùs urbem consideret cùm copiis Burgundio, tandem se dedidere Sevenbergani. Princeps, quo invito hæc facta erat deditio, fugatus est.

De Morbo Ioannis & Morte.

Post hæc Lyræ oppidulo Brabantia conventus Principum habitus, ubi confectis rebus, Joannes cum fratre suo juniore Philippo Comite Simpolio profectus Bruxellam versus pridie palmarum antequam ad locum destinatum pervenire potuit, gravi morbo implicatur. Postridie quàm rediit Bruxellam, nihil priùs habuit, quàm accersito ad se medico animæ, de contractis per totam vitam noxiis confessionem facere. Inde ubi, quâ par est veneratione, corpus ac sanguinem Domini

D

cùm

cùm accepisset, paucis diebus mortem obiit ante Resurrectionis Festum. Anno à Christi Regis ortu millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, ætatis xxiv. Conditorium optimi hujus Principis visitur Vueræ ante aram maximam in æde Joanni Evangelistæ sacra. Fuit Joannes in rebus adversis omnino forti & infraçto animo, justus & æqui tenax, nemo Religionis studiosior, nemo Dei amantior, nemo affabilior, nemo clementior. Tam munificus in pauperes, ut ii uno ore omnes Joannem pauperum patrem appellaverint. Joannis hujus temporibus, anno Salutis millesimo cccc. xxi. nocte quæ præcessit festum Elizabethæ vi tempestatis & aquarum violentiâ ruptis aggeribus, in Hollandia pagi septuaginta periere. Sunt & in Frisia, & Zelandia everse domus ac villæ. Periit ingens quoque mortalium numerus. Frustra alii loca editiora camporum, alii turres ac tecta petebant. Spumeus amnis exiens oppositas evicit gurgite moles, fertur in arva furens, cumulo camposque per omnes cum stabulis armenta trahit.

PHILIPPUS I.

Quare Romam profectus sit.

MORTUO Joanne, frater ejus Philippus gubernationē suscepit. Antequam id fieret, cupidus visendi Sepulchrum Dominicum, Romam profiscitur ut à Pontifice maximo impetratā facultate, quàm primùm quod in animo erat, conficeret. Pontifex non ignarus periculorum itineris; exarserant enim bella quædam inter Cypri Regem, ac Turcam, non est passus Ducem abire; sed apud se retentum aliquamdiu humanissimè habuit.

Vilvordia conventus, & alia quadam.

REVERSUS ex Italia Princeps, Vilvordiæ in Brabantia celebrem habuit conventum, ubi summa cum prudentia Leges quasdam à Majoribus statutas, ad utilitatem communem suorum, retractandi auctor fuit, ascivitque sibi Cancellarium Joannem cognomento Boutium, qui vir

erat gravis, prudens, & multis experimentis eruditus. Secundùm hæc Pagos, Arces, & quæ alia superiorum culpâ Principum ad privatos deciderant, recuperare studuit. In hoc à singulis oppidis certa est pecuniæ summa Principi adnumerata. Joanni Boutio adhuc vivo (sed cui, ut opinor, ætas & valetudo suadebant otium) Princeps Lovanii in Civica domo, præsentibus civitatum Primoribus, dedit successorem Joannem Gillaynum, patria Brabantum, qui antea fuerat Leodii Cancellarius. Viri hujus prudentiâ ac studio factum, ut pax altissima fuerit inter Philippum, & Leodiorum Antistitem.

Bellum Leodiorum cum Namurcensibus.

Sub id tempus bello petiti Namurcenses à Leodinis, qui transportatis in territorium copiis, multas arces ceperunt, captas solo æquarunt, propter ademptos sibi pagos aliquot. Mox & Bovinia est atrociter oppugnata; quibus auditis Burgundionum Dux Philippus, ejus ditionis proximus hæres, armatos emisit, qui ex Namurco, velut arce quadam, sæpiùs Leodiensem agrum incurfantes, multis eam gentem affecerunt incommodis. Eratque hic rerum status illis

lis in locis, cùm Philippus Brabantiaë Princeps, nunc per litteras, nunc per Legatos ad pacem finitimos hortaretur, quæ cum nullis rationibus farciri posset, mensium aliquot induciæ pactæ; quibus retinentibus sperabat se Brabantus ad æquas pacis conditiones utrosque retracturum.

De futura Conjuge & morte Philippi.

Misit postea è proceribus Engelbertum Edingum, & Boutium Principem, cum trecentis Equitibus, qui accerferent sibi desponsatam filiam Ludovici Regis Siciliaë, Yolentam nominatam invenio. Erat ea ventura ad urbem Remensem, ubi tradita Summatibus à Principe missis in Brabantiam deduceretur. Interea Philippus gravi morbo correptus, humanis decessit Lovanii, cùm rerum potitus esset annos tres, menses totidem. Hoc gubernante Philippo, tam horrendè mota & concussa est terra pluribus locis, ut unquam alias hominum memoria: in Cathalonia hoc tremore viginti urbes sunt everse.

Quomodo Brabantia Principatus ad Philippum Burgundia Ducem pervenerit, ejusdem uxores & liberi.

SIne prole jam defunctis Anthonii liberis, omne jus Principatus Brabantici devolutum est ad Philippum Joannis Burgundiæ Ducis filium. Is enim Joannes Anthonio fratri juniori hac lege Ducatum Brabantia cesserat, ut si vel ipse Anthonius vel ejus liberi sine hæredibus necessariis decederent, jus rediret ad suum genus. Itaque Philippus patre Joanne Burgundo natus, ab initio administrationis tam singulari vixit modestiâ, ut plurimum diligeretur ab omnibus, & in magno etiam honore sit habitus. Obvenerunt ei post cædem patris Provinciæ: Burgundia, Lotharingia, Brabantia, Limburgia, Flandria, Arthesia, Hannonia, Hollandia, Zelandia, Frisia, quibus omnibus summa prudentia præfuit. Uxores duxit omnino tres, unam Michaëlem, Caroli sexti, ut alii septimi, Gallorum Regis filiam virginem, ex qua liberos non tulit, cum maximè cuperet; hæc defuncta sepelitur Gandavi in cœnobio divi Bavonis: Deinde in matrimonium accepit Laudam quandam & nobilem & egregiâ

giâ formâ mulierem , quæ & ipsa nihil ei peperit liberorum. Postremò conjugem habuit Isabellam Portugalliæ Regis filiam , ex qua Anthonium & Jodocum , quos pueros amisit; postremò Carolum suscepit; qui patri successit in Principatu , de cujus rebus gestis suo loco dicetur.

Cades patris Philippi, bellum in Gallia gestum à Philippo , & Anglorum Rege.

Nondum factus Brabantia Dux , bellum Philippus gessit cum Gallis , ut patris sui Joannis indignam cædem ulcisceretur. Quidam hunc tradunt oppido Gallicarum , cui Monsteriolum nomen est , interemptum , quo loco dies Principum conventioni dictus erat. Cædis authorem fuisse Delphinum , qui postea Rex factus Caroli septimi nomen accepit. Robertus Gaguinus rerum Gallicarum scriptor , conventu (inquit) inito cùm hinc atque hinc permulta de præteritis injuriis refricarent , subitò quidam ex his qui Delphinum secuti eò venerant , irâ accensus educ̄to gladio Burgundum obtruncat. Innocentiæ Caroli Delphini argumentum fuisse Robertus tradit , quòd ad cædem viri expaverit faciem à percussoribus avertens. Patre oc-

cifo Philippus cum Anglorum Rege Henrico Gallici nominis hoste foedus & amicitiam jungit. Ab his duobus eâ tempestate Galli sunt armis inclementer vexati, adempta oppida, vici concremati, solo æquatæ sunt arces. In quo statu exactis aliquot annis, Gallorum Rex Carolus septimus, omnia quæ ademerat hostis recuperavit, puellæ cujusdam auxilio. Hæc dicta Joanna viginti annos nata, Regem adiens ideò se venisse constanter affirmavit, ut eum in regnum restitueret, Deum ita decrevisse, ut se Duce, Aurelianenses quos tum arctâ premebant obsidione Anglorum exercitus, liberarentur, & Anglis tota Gallia expulsis, ipsa Remos Carolum perduceret, ubi more Majorum inungeretur, de quibus omnibus oracula divinitùs acceperit se dicebat. Hæc & alia pleraque Gaguinus. Ego ad ea venio, quæ post Brabantia susceptum Principatum memoratu digna Philippus gesserit.

De obsidione Caleti.

ANno dominicæ incarnationis millesimo quadringentesimo trigesimo septimo (ita enim invenio) Philippus cum non bene conveniret inter eum & Anglorum
rum

rum Regem , Caletum in Flandriæ finibus situm oppidum (quod tum Anglo parebat) validâ manu obsedit. Nullum hîc invenio memorabile facinus editum , & antequam urbs tentari cœpta , obsidio soluta est , causam ejus rei diximus in libello de Hollandiæ omnium Principum rebus gestis. Lego hac obsidione irritatos Anglos in fines Brugensium excurrisse populabundos magis quàm justî more belli ; quos adorti Brugenses , fugant , & propè duo millia cædunt.

De rebellionè Brugensium adversus Philippum.

Hanc victoriam secuta est Brugensium rebellio ob adempta privilegia , quam eò progressam invenio furoris , ut contra ipsum etiam Principem non solùm arma sumpserint , verùm etiam gladio subjecerint eos , qui Philippum urbi exitium minantem juvissent. In commentariis rerum nostratum lego , Principem , ubi Brugas obsidere constituisset , simulasse se cùm exercitu profecturum adversus Hollandos , ut eam gentem aliquantò faceret obsequentiorem. Idque ut faciliùs vulgo persuaderet , mille , & quingentos armatos præmisit Antverpiam , qui inde statim in Hollandiam trajecturi

videbantur. Interea ipse cùm cetera manu in Brugenfem agrum egressus, vbi appropinquare oppido cœpisset, adequitanti sibi Principi Lillidamo bellicosissimo viro, dixisse fertur: Hæc est illa Hollandia quam subigere constitui, Brugas digito commonstrans. Quod simul atque Lillidamus intellexisset, animo exhorrescens, Domine mi inquit, superi prohibeant, nolim te quidquam tale incipere, & nostro omnium malo experiri tumultuantis vulgi rabiem, si tamen ita fixum immotumque sedet animo, nullum equidem pro tua, hoc est, Principis mei salute periculum effugero. Hæc ille. Philippus tanquam cum suo milite in Hollandiam profecturus, intra urbem à Brugenfibus qui nihil suspicabantur mali recipitur. Verùm non multò post ubi animadversum esset omnia minùs agi sincerè, Brugenfes clàm arreptis armis urbe media sese intra domos occuluere, certi nihil incipere, nihil movère priusquam Ducis miles hostilem ostenderet animum. Erant enim in eventum circa forum dispositi armati cùm ingentibus machinis, qui in primum clamorem hostium omnem Principis exercitum solo bombardarum sonitu in fugam egerunt. Ipse Dux periculo proximus, operâ cuiuspiam fabri, qui à tergo portarum

fores

fores effregit, vix elapsus est. Postea verò ne propter unius rebellionem urbis nimium effunderetur humani sanguinis, aliâ viâ rebellem populum domare ac subigere cogitabat. Vetuit igitur omnibus suis Provinciis recipi Brugenses, & pro hostibus haberi voluit. Unde factum, ut qui antea Brugis negotiatores velut emporio nostri orbis versari consueverant, urbe relicta aliò habitatum concesserint. Hoc videntes Brugani cives, rabie tandem posita, pacem petunt, quam his legibus impetrasse dicuntur, ut octodecim viris, quibus authoribus rebellatum fuerat, supplicio admotis tota civitas ad unam fermè milam extra urbem nudatis plantis Duci suppliciter occurreret. Quod cum ita factum esset Dux oppidum ingressus, haud aliter atque numen quoddam cœlo demissum excipitur.

De expugnato per eum Lucenburgo.

NON multò post adfertur Lucenburgensium Principem Elizabetham è vita excessisse sine liberis. Igitur Philippus ad quem lege rediisse putabatur hæreditas, cum satis numeroso exercitu profectus, irrequieto ductu, Lucenburgum ejus regionis primam urbem venit, quam totos

quindecim dies perpetuâ fatigatam obfidi-
one, tandem cepit operâ Cornelii No-
thi fui bellicosissimi viri, qui schalis intem-
peftâ nocte admotis muros conscendit, &
captum oppidum patri aperuit.

Constantinopolis expugnatio.

HUjus Principatus anno quinquagesi-
mo secundo ut Sabellicus, ut Gagui-
nus tradit, tertio, supra millesimum &
quadringsesimum nostræ salutis, à Tur-
carum Rege Mahomete capta direptaque
est Constantinopolis. Cujus urbis aliena-
tio, universæ Christianorum genti gra-
vis, Genuensibus verò ac Venetis longè
fuit gravissima: quibus cum erepta Con-
stantinopoli in Pontum & Scythiam navi-
gandi omnis adempta facultas videbatur.

De exactione facta in Hollandia.

Eodem ferè tempore Philippus, nescio
quò prætextu ingentem ab Hollandis
pecuniam exegit, quæ primùm negata à
Waterlandis (sunt ii populi Hollandiæ)
magnos iterum tumultus excitavit. Res-
pondentibus enim Waterlandis non ita flo-
rere sua oppidula, ut cæterarum Hollan-
diæ

diæ urbium munificentiaẽ responderẽ possent. Ilicò missi sunt à Principe Legati , qui vel invito ac renitentes eos ad id pecuniæ persolvendum traherent , cùmque nec eo modo quidquam profecissent, jussu Principis eò immissi armati opulentissimos quosque abduxerunt Hagam comitis ; quã violentiã tantum pecuniæ extortum est , ut præter eam quæ exigentium & recipientium sitim explere potuit, multum etiam superfuerit ad luxum ac delicias Aulicorum. Et utinam à superiorum Principum Consiliariis omnino pestilens inductum exemplum hodiè non tanto studio imitentur omnes.

De exactiõne in Gandavenses , & rebellione ejusdem populi.

Sexennio post Philippus cùm esset adhuc animo satis infenso in Gandavenses propter solutam nuper horum ambitione obfidionem Calysiaẽ , gravissimis exactiõibus eos divexare statuit. Proinde cùm nihil impetrasset eorum quæ petierat , armis utrimque agi cœptum est. Princeps apprehendere & in custodiam ac vincula conjicere Gandavenses ac horum fautores, è diverso illi omnes qui Philippi partibus favebant,

bant , indignis modis tractare sint ausi. Est prætereà sæpiùs inter eos collatis vexillis acie decertatum, nunc his , nunc illis victoribus , obsessum viribus Gandavensium Audenardum , sed frustra obsessum. Priùs enim quàm in tanto apparatu gestum est quidquam memoria dignum , Gandavenses in fugam conversi multos è suis amiserunt. Ad Philippum interim defecerunt omnia penè Flandriæ oppida , quæ rerum mutatio tantùm abest , ut Gandavensibus feroci hominum generi quidquam animi ademerit , ut non multis post diebus etiam Teneramunda Flandriæ satis munitum oppidum sit ab iis tentatum , sed infeliciter (ut exitus docuit rei) tentatum. Illic enim hostilibus oppressi insidiis multi occisi sunt qui pugnx superfuerunt , ii postea cum Teneramundanis iterum congressi , prosperè dimicaverunt cæsis hostibus. Nec multum inde dierum intercessit , cum utrimque novo coacto exercitu , iterum infestis signis concursum est. Quo prælio Cornelius Philippi Nothus (cujus alio loco memini) occubuit, sepulchro illatus postea Bruxellæ in templo D.Gudulæ. Pater hujus tam strenui filii præmaturâ morte vehementer commotus, Hollandorum imploravit opem. A quibus Philippo missus exercitus , primò
con-

contemptui fuit ac ludibrio Gandavenſibus. Cæterùm ubi ſeriò agi cœptum eſt, Hollandi ſuperiores fuere. Quibus ob ſtrenuè navatam in ea pugna operam, gratiùs actis Philippus ad expugnandas tres Gandavenſium arces conceſſit, quæ naturâ & opere multò erant munitiſſimæ. Captis brevi ſpatio duabus, tertiam adoritur. Quod ubi eſſet Gandavi renunciatum, continuò egreſſus illis, cum florentiſſimo exercitu Princeps improviſus occurrit. Certamen fuit utrimque cruentum. Sed Philippus egregiè vicit, ſexdecim, ut invenio, Gandavorum millibus occiſis. Hæc demùm clade fracti & conſternati Gandavenſes pacem ſupplices petunt, qua data, Princeps urbem ingreſſus maxima cum veneratione excipitur, Gandavianâ magnificentiâ tractatur, ſanctiſſimâ fide dimittitur.

*De Philippi filio David inaugurato Trajectenſium Episcopatus, & obſidione
Daventria.*

POſt hæc Philippus omnibus modis egregius Princeps de filio ſuo David Episcopatus Trajectenſium inaugurando cogitare cœpit. Quâ re intellectâ Trajectenſes qui Giſberto tum electo magis favebant,

bant , certis argumentis ostendere cœperunt , haud placere sibi quod ageret Philippus. Causabantur enim non esse idoneum Burgundi filium , quòd constaret eum ex concubina editum. Quibus cùm Philippus respondisset se habere Apostolicam super ea re dispensationem (ut vocant) nec sic quidem placare eos potuit. Igitur fit via vi , & armis tentari res cecepta , brevè eo deducta est , ut quem Canonici elegerant maximis allectus-promissis , Burgundo Episcopatum cesserit , atque ita Trajecti pacatis & compositis rebus omnes belli reliquiæ in Daventrienses conversæ , qui novi Antistitiis imperium apertè detrectabant. In hos Philippus eductâ non contemptibili manu totas octo hebdomadas urbem eorum frustra obsedit , pluvio enim cœlo dies complures luculentus exercitus circa fossias & paludes nihil agere insignè potuit. Interea Joannes Dux Clivensium nihil prætermittens eorum , quæ ad pacem inter Principem & Daventrios componendam attinerent , eò rem deduxit , ut impetratâ pace , novum reciperent Episcopum. Id quod haud gravatè fecerunt , jam incommodis longè obsidionis edocti , inscitiam esse adversus stimulum calcitrare. Itaque abductis inde militibus suis , Philippus in Brabantiam revertitur

vertitur circa festum diem Archangeli Michaelis.

De fuga Ludovici Delphini è Gallis ad Philippum Burgundum, & ejusdem Ludovici in Gallias reductione.

Vix jam redierat, vix jam respirare coeperat à bellicis curis atque negotiis Princeps, cùm Ludovicus Delphinus, cui cum patre Carolo Galliarum Rege inimicitia erant, nostra loca ingressus, ad eum se contulit fretus affinitate, quæ cum illo intercedebat arctissima. Nepotem igitur destitutum favore suorum Philippus eâ veneratione, eo excepit affectu, ut facile declararit se in affinem gerere animum parentis propitii. Itaque exacto quinquennio in comitatu Burgundi usque ad patris obitum, cum ingenti exercitu à Philippo in Gallias reductus, fratre natu minore, cui pater moriens Ludovici odio, Regnum Galliarum testamento reliquerat, ultrò annis ac ætati cedente Rex inungitur. Sabellicus Antonius, qui in parte operis sui postrema rerum à Philippo gestarum commemoravit author est, apud quosdam in suspicionem venisse, Ludovicum veneno necati fratris junioris. Quæ quidem res illi &
in.

invidiam conflaverit, & bellum pepererit, in quo tam infestum habuerit hostem Philippum Burgundum, quàm antea senserit amicum.

De expeditione ejus in Turcas.

ANno salutis nostræ quarto & sexagesimo supra millesimum & quatercentimum Pontifex Pius secundus, cùm nuntios & litteras per omnem Europam misisset, quibus ad bellum Turcis inferendum Reges ac populi invitabantur. Philippo quoque Burgundo Pontificiæ litteræ sunt redditæ, quibus rogabatur, ut ad tam pium, quàm necessarium bellum sese pararet, paratus in tempora, adesset unà cum cæteris Principibus Christianis, quàm primùm transmissurus in ea loca, quæ per id tempus fidei hostis nostrorum ignaviâ Principum occupaverat. Acceptis his litteris optimus Princeps non distulit quantum potuit militum ex omnibus suis Provinciis convocare, cum instructo exercitu ipse haud dubiè profecturus, nisi partim senio præpeditus, partim aliis implicitus malis, domi manere coactus fuisset. Emisit igitur Antonium Nothum suum ingenti animo ac fortitudine virum qui copias duce-

ret,

ret. Is ex Brabantia profectus, cùm in Gal-
lias venisset, longiùs procedere non est au-
sus, propter ostensas sibi litteras, quibus in-
erat, jussisse patrem Philippum, ut inter-
ficeretur. Hæ litteræ ut postea compertum
est, non à patre (cui unicè charus erat An-
tonius) sed ab hujus Consiliariis aliquot
scriptæ fuerant in gratiam Ludovici Gal-
lorum Regis, cui soli cum Pontifice parùm
conveniebat.

De nova discordia apud Hollandos.

ANno post Christum in terris naturæ
M. cccc. xlv. initium cepisse discor-
dia traditur, quæ per longum tempus fuit
inter eos qui ab hamo, & alios qui à pisce
afello nominati sunt.

De morte & moribus ejus.

Obit Philippus ætatis anno septuagesi-
mo tertio, regni trigesimo septimo,
Dominicæ nativitatis millesimo quadrin-
gentesimo sexagesimo septimo, ad xvij.
Calen. Julii. Fuit hic Princeps, quod non
paucis incredibile videatur, pacis ac belli ex
æquo studiosus, insignitè pius, in omnes
beneficus, humanus ut superiorum Princi-
pum

pum nullus. In re bellica fortiórne an feliciór extiterit, nescias. Moderationem & clementiam toto administrationis tempore mirabilem exhibuit, novitque iram plerumque dissimulare ac vincere. Gemmarum, signorum, tabularum, & poculorum ex auro atque argento studiosissimum fuisse legimus, in quibus comparandis ipsum propè superavit Julium Cæsarem, ditavitque hujusmodi rerum artifices undique ad se accersitos. Principes viros, ac nobiles matronas coluit, & ab his vicissim ipse in honore est habitus.

C A R O L U S

BURGUNDUS.

De nativitate & Parentibus ejus.

NATUS est Carolus Digii, oppido Burgundiæ, anno partus Virginei jv. & xxx. supra quadragesimum & millesimum, jv. idus Novembris: Patrem habuit Philippum, de quo proximè dixi, virum longè optimum: Matrem verò Isabellam, quæ marito suo præter Carolum, duos alios filios genuerat, quorum

quorum unus adhuc infans, alter jam puerascens extinctus est.

De Studiis ejus in pueritia.

CAROLUS annos natus fermè duodecim, optimis moribus & liberalibus disciplinis traditur instituendus, ut qui in spem successionis tot Provinciarum aleretur, eo-que brevè pervenit meditando, exercendo-que, ut natu grandior, & Latinè loqueretur, & Scriptores veteres, etiam citra Interpretem intelligeret. Quod certè tam rarum est in Principibus nostris, ut plurimùm etiam placere nobis & cristas erigere possimus de qualicumque ad summas ejus virtutes, accessione doctrinæ. Imbutus est & musicis, olim apud antiquos honestissimo studio, quod hodieque suam retinet laudem apud quasdam Nationes. Doctos viros plurimùm amavit, & occasione datâ provexit, major haud dubiè futurus ingeniorum Mecœnas, ni bellicis districtus curis, mentem omnem & cogitationem ad arma convertisset. Ego in commentariis rerum Hollandicarum invenio, Religionem adeò curæ fuisse adhuc penè imberbi, ut preces horarias quæ Canonicae vocantur, legerit, nec unquam omiserit nisi multùm occupatus.

patus. His filii progressibus, in tantum est gavisus pater Philippus, ut sæpiùs dixerit plurimum se omnium bonorum largitori Christo debere, quòd talem esset illius benignitate successorem relicturus.

De Dissidio inter eum & patrem.

CAROLUS jam primas adolescentiæ metas ingressus, accepit à patre comitatum Cadralegii & quædam alia loca, è quibus annum reciperet proventum. Accidit non multò post, ut Joannes quidam Coësteynius à consiliis Philippo patri cogitare cœperit, quomodò Carolum Principis filium veneno necaret, erat enim hic illi invisus. Ut verò rescivit Carolus, ilicò ad patrem venit, & non sine lachrymis exponens quòd ægrè esset, jussu parentis Coësteynium apprehendit, apprehensum & nefarii sceleris convictum supplicio admovit. Ex hac tam justa & salutari animadversione Carolo inexpiabilis conflata est invidia apud eos, sine quorum consilio, neque privatim, neque publicè quidquam agebatur. Itaque his conantibus factum, ut brevè pater à filio alienatus, primùm omnibus bonis eum exuerit, mox etiam vetuerit edicto, ne quis illustrium virorum aut illi conviveret, aut
pro-

prodeuntem honoris causa sequeretur. Hoc in statu cum res patris Philippi reperisset Antonius Nothus, è Gallia tum reversus cum exercitu, posthabitis rebus omnibus, nihil non tentavit, nihil non fecit quod ad fratrem Carolum patri reconciliandum pertineret. Philippus autem rogatus à multis & magnis Principibus, ut nihil commertum filium in gratiam reciperet, secum cogitans unicum esse illum heredem suum, ad se ex Hollandia quo is durante patris irâ profugerat, revocatum, amplexus in pristinam dignitatem restituit.

De prima ejus Expeditione.

PRimam expeditionem ultrò suscepit in Ludovicum Regem Gallorum, quem ad montem Henrici magno prælio devicit. Is locus distat ab urbe Parisio septem Gallicis milis. Carolus in ea pugna periclitatus est, nempe in collo gravi vulnere accepto. Rex autem Ludovicus abjectis armis trepidus in arcem quandam se recepit. Deinde Parisium regiam urbem ingressus, plures dies intra muros se continuit. Interim ad Carolum victorem sæpiùs missi legati, qui pacem peterent, qui omnia victum Regem facturum dicerent, quæ victor

ctor Carolus petivisset. Igitur his legibus tandem pax impetratur, ut omnes eas terras Burgundionum Principi Gallus redderet, quas antea vi tenuisset, his adjectæ tres civitatulæ, inter quas Perona. Carolus victor Bruxellam reversus, ingenti patris Philippi, deinde totius gaudio civitatis est exceptus; in eo enim congressu omnia spe, votisqueque majora contigerant.

De Morte uxoris ejus Isabella.

CUM adhuc in Galliis Carolus abesset, uxor Isabella mariti sui longè amantissima, Gorici oppidulo Hollandiæ, in morbum incidit, contractum (ut quidam putant) nimio Caroli desiderio. Igitur convocati peritissimi Medici, suaserunt, ut relictâ Hollandiâ Gandavum veheretur, fore sperantes ut filiolæ (quæ in eadem urbe per id tempus educabatur) jucundissimo conspectu recreata, brevè convalesceret. Ubi verò Antverpiam perventum, mulieri adeò morbus invalescere cœpit, ut in divi Michaëlis cœnobium deportata, paucis post diebus expirarit. Sepulta inibi magnificè antè aram maximam. Fuit hæc mulier Christo deditissima. Struunt aliæ magnificas ædes in quibus omni deliciarum genere

nere fruantur, Ysabela pauperibus impendit omnia. Legitur sæpiùs paucis comitibus, inopum circuiffe tuguria, quibus illorum sublevandæ egeftati occultè pecuniam intulerit, eximio prorfus atque omni ævo memorabili exemplo.

De Everfione oppidi Dionantensis.

ANno falutis humanæ M. quadringentesimo fehexagefimo feexto, Dionantenses (horum oppidum Dionantum vifitur ad Mofæ ripas) adjuti Leodinatorum viribus latè Brabantiam, Hannoniam, Namurcum, fœdis populationibus devaftabant. Multa interim contemptim loquentes de Philippo Principe, cui per id tempus adverfa valetudine impedito non licebat patrios tueri fines. Carolus igitur filius injuriam non ferens, ex Arthesia (ubi tum erat magnis implicitus negotiis) Bruxellam rediit, atque ibi confcripto ftatim exercitu profectus in Dionantenses, eorum urbem validè munitam cepit, captamque evertit. Juxta Dionantum & Boviniam ad Mofam Poulvadium oppidulum, tunc etiam deletum & folo æquatum eft. Vifuntur hodie domus aliquot reliquiae everfæ urbeculæ, vifitur & puteus infignis. Eodem temporis fpacio

erat Leodinos quoque magno armorum apparatu invasurus, nisi vicinæ urbis everfione perterriti illi, supplices veniam petiiffent, quibus pro ingenita fibi clementia Carolus noxam condonavit, acceptis ab eifdem quinquaginta obfidibus, qui Lovanium profecti, tantisper ibi manerent, quoad Philippo patri (cui fuerat illata injuria) omni ex parte fatisfactum efferet.

De Morte patris ejus.

NON multo post Philippus pater, ablegato in Angliam Antonio notho fuo, qui ab rege Eduardo quarto peteret, uti forem suam Margaretam, Carolo daret uxorem, Brugis eodem anno ægrotare cepit. A proceribus qui tum aderant illic, fore sperantibus ut brevi revalesceret Carolo filio qui id temporis Gandavi erat, nihil significatum proximo triduo. Verum postea magis magisque invalescente morbo, cum non procul abesse à morte videretur, accersitur filius, qui nocte dieque continuato itinere profectus, jam quidem graviter affectum, sed tamen spirantem adhuc patrem invenit, mansitque cum eo. Defunctum verò tam piis est lachrymis prosequutus, ut astantibus ipse lachrymas excufferit.

cufferit. Astantium quoque procerum & foeminarum illustrium ad Principis casum tanta est orta commiseratio, ut præ nimio dolore parum animi compotes, alii clamorem extollerent, alii propemodum exanimati conciderent. Postquam verò mors optimi Principis fama ac nunciis vulgata est, maximus repente luctus omnium occupavit animos qui Burgundicæ ditionis fuerunt. Annus, quo tam inclytus periit Princeps, fuit (si commentarii quos sequimur, rectè colligunt) millesimus quadringentesimus lxvij. humanæ salutis. Corpus ejus infepultum aliquamdiu servatum est in eadem urbe. Decreverat enim filius illud primo quoque tempore, in Burgundiam sepeliendum avehere. Quod postea factum esse suo loco dicetur. Isabella mater cum paucis annis charissimo conjugii supervixisset, mortem obiit Arris, non longè ab oppido sancti Odomari: cujus etiam corpus in Burgundiam est avectum.

Quomodo Flandria & Brabantia Principatum acceperit.

Post summum patris diem, Carolus cum ornatissimo procerum suorum agmine Gandavum properat. Quod ubi esset intellectum,

lectum, occurritur ei ab urbis primoribus, qui novo & optatissimo Principi adventum gratulati, eundem introducunt, estque tunc impunitas concessa plus octingentis maleficis, qui cum Principe Gandavum sunt ingressi. Exceptus igitur omni spectaculorum genere, & vocibus undiquaque aggratulantium civium, Principatui Flandriæ inauguratur. Sed pompam illam, sed gaudia illa atque tripudia inopinatus luctus inquinavit. Nam tumultus inaugurationem sequutus est, petentibus Gandavis omnia privilegia sibi restitui, quæ Philippus pater illis ademerat. Estque populi furor eò grassatus, ut ibi Carolus fuerit coactus facere, quæ illi vellent. Sub hæc profectus Teneramundam, missis Gandavum legatis, omnia rescidit, quæ paulò antè illis metu potius quàm voluntate concesserat. Venit postea Lovanium, primam Brabantiaë urbem, ubi cum simili solennitate ejus regionis Principatum suscepit, tanto omnium gaudio, ut beatos sese clamarint, quibus tot animi dotibus excellentissimus Princeps contigisset. Lovanio Bruxellam profectus: in ea quoque urbe singulari favore excipitur, ac festo die Margaretaë miro concensu civium in verba novi Principis juratum est. Huc ad eum reversis Gandavis, qui paulò ante

per

per tumultum infurrexerant, veniam petentibus ignotum est.

De composito per eum Tumultu Mechlinia.

Eodem ferè tempore Mechliniæ exortus tumultus, qui velut incendium alia atque alia corripuens, eò serpsit, ut furore vulgi expulsis qui Rempublicam administrabant, Præfecti domus solo æquata, bonaque ejus direpta sint. Quâ violentiâ Princeps vehementer commotus, incredibili celeritate eò contendit urbem deleturus, nisi orantibus multis nobilibus viris, ut sanæ parceret multitudini, hâc lege ignovisset admissum, ut quicquid privatarum ædium antea vulgus per furorem everterat, suo sumptu instauraret, numeratis triginta millibus aureorum Præfecto, cujus bona diripuerat. Illud etiam invenio, multa tum civibus adempta ob rebellionem privilegia.

De subactis Leodiensibus.

His peractis, Carolus iterum bello adortus Leodienses, multas eorum arces cepit, oppidum sancti Trudonis, (ita enim hodie vocatur) obsedit aliquot diebus. Cujus

jus subacti muros dirui jussit, ut ita rebel-
 landi materiam in perpetuum eis adimeret.
 Postremò Leodienses quoque obsessi, vi-
 dentes non posse se viribus Caroli resistere,
 omnes inermes cum singulis vestimentis
 egrediuntur, adque Ducis genua provolu-
 ti, multis tandem precibus obtinere, ne
 urbs excidio dederetur, quæ imperata fa-
 cere non recusaret. Princeps verò utcum-
 que placatus, domitam atque subactam ur-
 bem non est ingressus, nisi quicquid intus
 erat armorum ad se deportatum, in suâ po-
 testate haberet.

De Nuptiis ejus.

DEfunctus hoc bello Princeps, uxorem
 duxit Margaretam sororem Eduardi
 quarti Anglorum regis. Hæ nuptiæ Brugis,
 oppido Flandriæ celebratæ sunt tanto appa-
 ratu, ut nihil à condito ævo sol viderit splen-
 didiùs. Primùm omnium ad celebrandas
 nuptias domus à fundamentis extructa in-
 credibili sumptu ac celeritate, cujus parie-
 tes, conclavia, atque cubicula omnia tape-
 tibus præciosissimis consternuntur. Tricli-
 nium in quo Princeps die nuptiarum con-
 vivio adhibiturus erat nobilissimos quos-
 que, ita magnificè ornatum est ut cætera
 omnia

omnia quamquam præciosissima, nihil tamen fuerint conferenda cum his, quæ ibi visebantur. Erectus eo loco fuit Abacus, in quo pulcherrima vasa omnis generis exposita vidisses. Hic erant ex auro purissimo emunctoria, candelabra, maluvia, pelves, vascula potoria, disci, salina, œnophora, paropsides, gabata, vox me citiùs defecerit, quàm nomina tantum dixerim eorum, quæ ad illius magnificentiam convivij absolvendam parata erant. Foris quoque nihil cessatum est: omnes vici, omnes domus quâ erat ventura Sponsa, pulcherrimis auleis, plateæ floribus omnifariam, quos dabat anni tempus vestiuntur. Sunt & nobilissimi artifices undique accersiti, ad excogitanda ea, quæ ingredientium & prætereuntium oculos detinere possent. Jam parata & magno conquisita erant pleraque omnia cùm dies appeteret nuptiarum. Brugas igitur cum trecentis plus minus Equitibus Princeps egressus, Damam venit. Huc enim non multò ante ex patrio solo appulerat sponsa, in hac urbecula celebrato nuptiali foedere, ilicò Brugas reditum, Margareta civium lætis excepta vocibus, gratissima nimirum atque omnibus optatissima adveniebat. Nunc prætereo ædita toto oppido spectacula omnis generis. Prætereo exhibitos ludos tota

urbe regionatim, & quidem per doctissimos histriones. Taceo omnium penè Burgundicæ ditionis oppidorum gratulationes, insignium ingressus Antistitum. Denique celeberrimam hominum frequentiam. Nuptiarum die in triclinio, ubi cum sponsa & illustrioribus viris discumbebat Princeps, quatuordecim partim argenteis, partim aureis navibus, quarum singulæ quatuor scaphulas habebant, cibus in mensam illatus est. Quid missus dicam ferculorum quos fuisse legimus numero circiter quadraginta. Quibus verbis efferam vinum odoratissimum, quod convivis appositum est. Secundæ mensæ tragemata, ex saccaro, poma, nuces, lautitias omne genus habuere. Quæ omnia dum fixi, suspensique præ stupore convivæ degustant, à pueris interea in cupidinum speciem figuratis, longè suavissimi ad mensas adolentur odores. Nihil ad hanc magnificentiam, egregiùs alioqui Antonii & Cleopatrarum apparatus. Nihil Heliogabali sexcenta strutionum capita unâ cœna apposita. Ut semel finiam, quicquid de dubiis ac pollucibilibus loquitur cœnis antiquitas, hæc Burgundia inferius est. Postquam verò exempta fames epulis, mensæque remotæ, oculorum varia sunt exhibita oblectamenta, ex quibus propè innumeris,

pauca

pauca referam. Illati sunt in triclinium pavones flammivoni, in quibus tantum artificii, tantum operæ infumptum est, ut à veris internosci vix potuerint. Introductus est Leo, cui eximiâ pulchritudine virgo insidebat, gestans manu Insignia Principis Caroli. Ad ostentandam magnificentiam magis quàm oblectandi gratia illatæ sunt argenteæ turres numero triginta, quibus arces totidem significabantur, quarum eâ tempestate dominus ac possessor erat Carolus. Postremò introductum est animal (Dromedarium quidam putant fuisse) cujus dorso impositæ sportulæ, undè omnis generis evolantis aviculæ, haud aliter cantu demulcebant omnium aures convivarum, quam Vere novo ramis arborum instrepitantes vario concentu prætereuntem detinent viatorem. Secundum hæc finambuli, Panthomimi, Ærethalogi, saltationes, illustrium choreæ foëminarum, & quicquid præterea animi gratia potuit excogitari, exhibebatur. Quod reliquum erat temporis ante cœnam, variis est lusibus impensum. Carolus autem, cùm hæ nuptiæ fierent, annum ætatis agebat trigessimum quintum: primo, secundo, ac item tertio diebus proximè insequentibus ludi sunt exhibiti, & celebrati magnificentissimo apparatu in ar-

gumentum publicæ lætitiæ, quos Georgius Badenus, Episcopus Metensis, Joannes Burgundus Cameracensium Antistes, David Burgundus Trajectinorum in Hollandia Præsul, Guido Tornacensis Ecclesiæ summus pastor, cum plerisque aliis multò nobilissimis viris, Carolo Principi & Sponsæ admirationem usque formosæ assidentes spectarunt.

*De suscepto per eum Principatu Hollandia
& Zelandia.*

HIs celebratis nuptiis, cum universo propemodùm flore Procerum Burgundiæ in Hollandiam venit, ubi rursus ad singularum urbium ingressum renovata lætitia, instauratis triumphis, & passim æditis magnificentia, splendoreque visendis ostentaculis, apud Hagam-Comitis pridie feriorum divæ Magdalenæ, Principatui ejus regionis initiatur.

*De ultima Obsidione Leodij. & ejus ever-
sione.*

Sub id tempus rebellatum est à Leodiensibus, qui nocturno tempore ingressi Tongrinum (olim hæc urbs Octavia dicta est

est) Ludovicum Antistitem suum, Caroli Principis nepotem captum abduxerunt Leodium. Hujus rei indignitate permotus Carolus undique magno studio contractis copiis, movit in Leodinos. Erat tunc temporis eorum urbs non solum magna & egregie munita, verum etiam florentissima & caput ejus gentis. Magnitudinis argumentum fuit quod in ea tum visebantur Tempia numero triginta duo, nos vulgo dicimus Ecclesias Parrochiales. Ad hanc igitur urbem castra Burgundus exercitumque partitus, eam non uno loco circumfedit, postridie ut sperabat expugnaturus, nisi pluvio coelo impeditus fuisset. Auxilia ad ejus expugnationem oppidi misit Gallorum Ludovicus, qui & ipse magna ex parte gerendis rebus interfuit. Carolus paucis diebus obsessum Leodium, valideque interea ab incolis defensum, novissime vi cepit, captum diripuit, direptum evertit, multis prius ac variis saevitiae exemplis a milite ipsius aeditis. Antonius Sabellicus in opere cui titulum praetulit Zapsodiae historiarum author est, Burgundum summo id bellum odio suscepisse. Nam expeditionis ejus Ducibus ab eo mandatum est, ut una manu exertum gladium, altera gestarent facem ardentem, iis nimirum rebus miserae genti

exitium minitantes. Captam urbem Gallus cum Burgundo ingressus pectore non re-
ctam, sed Andreæ crucem habuisse dicitur,
ut hoc factò innueret omnem ejus belli glo-
riam ad Carolum pertinere. Incidit autem
hoc excidium inclytæ urbis in tertium
Kalend. Novembris, Anni Dominicæ In-
carnationis, Millefimi, quadringentesimi,
sexagesimi octavi.

*De Aquisgrani Incolis à Carolo veniam
petentibus.*

LEodinos jam obsessos Aquisgrani Ci-
ves & Incolæ com meatibus juverant.
Quod Urbe captâ iniquiore animo ferens
Burgundus cum lectissima manu Traje-
ctum ad Mosam proficiscitur, indè quam-
primum in Aquisgranos educturus. Aquis-
grani hoc audito, non arma parant, non
Urbem muniunt, non ea quæ ad resisten-
dum erant necessaria circumspiciunt, sed
metu & immodico pavore consternati, pri-
mores suos Trajectum misere. Ubi ad Ca-
roli Principis conspectum humiliter pro-
voluti, statim & ultrò portarum clavibus
traditis, oppidi totius imperium illi permi-
serunt. Gratum fuit Burgundo obsequium,
grata humilitas. Proindè venia data, sed
hâc

hac conditione, ut propter adjutum hostem octoginta florenorum millia, Duci intra statutum tempus adnumerarentur.

De animadversione in quosdam.

Secundum hæc Bruxellam, ubi Ducaria sedes erat, reversus Carolus, & gratiam omnibus retulit qui superiore Leodiensi bello strenuam operam navassent, & in eos animadvertit, qui Urbe capta è sacris locis quippiam substulissent. Egregius Princeps hoc facto ostendit, nullum esse tam justum bellum in quo non sit à Divorum Templis atque Aris temperandum.

De reditu profugorum Leodiensium ad suam Urbem.

Eodem tempore Leodinis, qui Caroli victoris metu profugi incertis sedibus vagabantur, permissum est, ut ad sua loca redirent instauraturi, si vellent ea quæ paulò antè militum rabies deformaverat. Undique igitur in Urbem omni propè desertam humano cultu immigratur. Nec sine lachrymis immigratum præsertim cùm incendio miserabili, propemodùm solo æquata ædificia præterirent, in quibus aliquando

quando lætos dies inter sanguine conjunctos exegissent.

De Severitate ejus in jure dicendo.

IUs dixit postea in omnibus suis Provinciis, haud minore severitate quã diligentia non est passus ulla graviora scelera impunè fieri. Nullus unquam Principum in Jure dicendo minùs dedit amicitiaë, pecuniaë, sanguini. Quibus rebus nimium solent quidam commoveri, neque interim esse memores, justitiaë primum munus esse, jus suum unicuique tribuere.

De Frysiis quadam, & motu sequuto expulsiõnem Eduardi Anglorum Regis, qui socer Caroli

PAUCIS post annis Frysiã orientalis populi, cum Burgundionum Ducis imperium detrectarent, missi sunt hinc inde Legati per quos de pace & parendi conditionibus ageretur, quanquam libertatis gens amantior, nullas nisi multò æquissimas conditiones admissura videbatur. Carolus animadversa gentis pertinacia, terribili armorum apparatu mox erat fines eorum ingressurus, nisi ad tempus dissimulandum

dum ratus, aliò mentem convertisset. Circa eadem tempora maximus armorum motus in Britanniiis extitit, pulso & ejecto nobilium conjuratione Eduardo Rege, Caroli Burgundi Socero. Neque refedit hic motus citra humanum cruorem. Ante Calisium & alia quædam loca ingenti ædita cæde. Cujus rei nobis est author Sabellicus, veteris ac recentis Historiæ scrutator, meo judicio non indiligens.

De Stella Comata, visa Caroli temporibus.

ANno Dominici natalis, millesimo, quadringentesimo, septuagesimo secundo, mense Januario sub Festum diem Agnetis, exorta est crinita Stella, quæ maximo horrore mortalium, visa, fulsit per continuos tres menses. Multa hunc Cometam sequuta bella, atque ingens hominum cædes & pestilentia, quæ pluribus locis atrociter sæviit.

*De Arnolde Gelria Principe carcere educito,
& Adolphi filii, hujus per Carolum apprehensione; & de bello Gelrio.*

PER idem ferè tempus opera & studio Burgundi, custodia dimissus est Arnoldus

us Gelriæ Princeps, quem filius Adolphus septennium totum in vinculis detinuerat. Quam causam huic in parentem violentiæ prætenderit non tradunt, quibus curæ fuit nostratium Principum res gestas conscribere. Illud reperio Adolphum postea accersitum ad Carolum Principem uti de communibus rebus inter se commentarentur. Sed cum impius ille multa eo congressu se digna Caroloque indigna locutus esset, primo diebus aliquot servare iussus, mox Vilvordiam (& hoc Brabantiæ oppidum) abducitur, ubi custodiæ traditus mansit usque ad obitum Caroli. Duplex deinde fama est, quomodo accesserit Burgundo, Gelriæ Principatus. Quidam eum emisse scribunt à Duce Juliacensi, qui tum verus esse credebatur hæres ejus terræ. Alii tradunt Arnoldum paulò antequam vitâ decederet Adolpho filio infensum, exhæredato eo Principatum cessisse Burgundionum Duci Carolo, qui defuncto jam Arnolde misit illicò ad singula penè ejus regionis oppida Legatos, qui monerentur, ut si rebus suis consultum vellent, Caroli imperium reciperent. Quod si facere recusarent haud dubiè futurum, ut egregius Princeps armis repeteret suam terram, Legatis superbe responsum neminem esse tota Gelria qui

qui magnopere Caroli minas pertimesceret, si acie certare vellet, non defuturos qui Patriam defenderent. Hæc tibi renunciassent Legati, statim cum exercitu profectus in Gelriam Carolus, primum à Ruremundanis recipitur, atque his initiis perterriti vicini, ultrò deditioe facta, in gratiam sunt accepti. Oppidum Venlo diebus aliquot obsessum est, ac novissimè, apertis Principi portis, omnia sunt illi in manum tradita. Postea & Noviomagum clarissimum Gelriæ oppidum, viginti quinque diebus variè oppugnatum ad deditioem compellitur. A cujus Civibus ingenti lætitia introductus Carolus totius Gelriæ Principatum suscepit. In eadem Urbe ad se adductos mortui Arnoldi ex filio Nepotes, primum est osculatus, deindè è conspectu summos jussit avehi Gandavum ad uxorem suam Margaretam, sic reperio apud quosdam. Alii dicunt pueros illos non Gandavum missos, sed unâ cum Principe avectos esse in Brabantiam, ubi sint plures annos honorificè habiti. Noviomagi Principatu Gelriæ (ut dixi) suscepto, à cæteris quoque ejus terræ oppidis Burgundus recipitur, ac postremò Comitatus (ut vocant) Sutphanix, solemnibus etiam cæremoniis initiatur. Æstas quâ subacta est à Caroli ar-

mis

mis Gelria , fuit citra omnem hominum memoriam calida , diverſis locis & homines & bruta animantia intolerandis periere caloribus.

De congreſſu duorum Principum potentiffimorum Friderici Imperatoris , & Caroli Ducis.

ANni hujus Autumno Fridericus Imperator pulcherrimo comitatu , in quo multi egregii Præſules , multi inſignes Duces ac illuſtres erant Optimates, venit Treviros (eſt hæc Civitas ad Moſellam fluvium ſita) ut cum Carolo Burgundionum Principe de multis ac variis rebus coram loqueretur. Carolus verò ut veniſſe audivit Imperatorem , compoſitis in Gelria rebus , eo confestim eſt profectus, longè pulcherrima comitante pompa. Invenio Principi non longè diſtito à Treviris obviam itum ab Imperatore , tum urbem tubis , aliisq̄ue id genus circumſonantibus instrumentis pariter ingreſſi , diebus aliquot unâ fuerunt. Interim Carolus nihil non opum , nihil non ſplendoris effudit , ad decorandum Imperatoris adventum. Convivium , cui per eos dies Imperator eſt à Carolo adhibitus ejuſmodi fuit , ut propemodum nuptias il-
las

las (de quibus alio loco diximus) apparatu & magnificentia æquaverit. De hoc FridERICI Imperatoris, & Ducis Caroli congressu extat, & circumfertur pulcherrima epistola, eximiè docti viri Rodolphi Agricolæ.

*De Parlamento Mechlinia per Carolum
Ducem instituto, & Sepultura Pa-
rentum ejus.*

REVERSUS ab Imperatore Carolus ; Mechliniæ Curiam instituit, quæ non erat alia in Orbe Christiano celebrior futura, si foeliciter inchoatum à Carolo Principe Concilium insequentes Duces pari cura fovere, ornare, atque ampliare studuissent. Hæc Curia prælata cæteris, constituta erat causarum omnis generis justa ac legitima disceptatrix, omni adempta provocandi potestate litigantibus. Consiliarii numerum tricesimum explebant, omnes viri Docti, perspicaces, circumspecti, acri judicio, justi & sobrii. Dixisses Arcopagitarum Concilium illud esse, eâ gravitate, doctrinâ, prudentiâque lites dirimebant, suum cuique reddentes. Ad locum audiendis controversiis destinatum Equites ibant, aliter enim non licebat. Curiam ingressis, paratum erat Sacrum. In hoc precabatur Sacerdos,

dos, uti optimus Deus ejusmodi suis mentem daret, ut eo die Concilio prodesse aliis & possent & vellent. Sacro facto, locum tractandis Reipublicæ negotiis constitutum ingrediebantur. Undè post horas aliquot sub meridiem egressus eos excipiebat. Iterùm sacrificus alterum facturum Sacrum, in quo Deum precaretur, ut ejus diei Concilia, commodo esse vellet Reipublicæ. Ad hæc honoris ademptionem his fuerat interminatus Carolus, si quid per fœcordiam præteriissent, quod ad Reipublicæ commodum pertinere videretur. Adedò nihil hic Princeps, nisi de publico cogitabat. His itaque sic ordinatis, ad parentum suorum sepulturam animum adjecit. Utriusque igitur Patris Matrisque corpus, longis itineribus in Burgundiam deportatum, sepelitur in Carthusiensium Monasterio, quod extra Digium urbem visitur, non incelebre. Singulis pænè oppidis, quâ erat iter faciendum, celebratæ exequiæ nullo adhibito honoribus modo.

De obsidione Novesii, vulgò Nutia dicitur.

PER id tempus Ruperus Bavarus Coloniensium Archiepiscopus, multum est apud Carolum Burgundum Cognatum suum

suum quæstus, magno conatu obstare Colonienfes, & oppida circumjecta, quo minus ipse debitos sibi annuos proventus ex locis illis reciperet. Quo audito Burgundus, ut Rupero (alii habent Roberto) præter cognationis vinculum, etiam charissimo subveniret, conscripto ingenti Equitum ac Peditum exercitu, fines ditionis suæ egressus, ad bellum Colonienfium, & finitimis inferendum properat. Novesium Coloniae vicinum (dicitur vulgò Nutia) cœptum est obsideri mediis Julii caloribus. Advexerat secum Princeps immensæ molis bombardas, quibus non uno loco disjecta murorum parte multum & urbis ædificiis damni illatum, & magna incolarum facta strages. Lego urbem multâ vi oppugnatam aliquanto etiam majore præsidio à civibus defensam. Erat præsidii præfectus Hermannus quidam Comitissæ Hessenii frater, cujus virtute oppidum incolume mansit, inter maximos terrores. Nam ut cætera obsidionis mala præteream, ab his etiam qui intus erant fame ac rerum omnium tanta inopia laboratum est, ut equi instrumenta militiæ, pluribus victui fuerint. Apud quosdam invenio, paucis diebus in alimoniam civium absumptos cccc. equos. Hic nihil dico de præliis quæ durante obsidione inter

inter obsessos & Burgundum fuere. Ex multis enim dumtaxat insignia confector. Assidebant nostri homines Novesium, cum Imperator Fridericus Agrippinam venisset, ut cum Burgundo vel confligeret, vel obsidione Novesium liberaret. Hoc audito Carolus, tantum abfuit, ut fugam circumspexerit, aut de solvenda obsidione cogitarit, ut instructos suos etiam produxerit, avidus certaminis. Verum continuit sese intra septa Fredericus Imperator, vel non ausus dimicare, vel quia speraret futurum, ut Imperatoris adventum perterritus Burgundus, inde subito discederet. Cum nihil tale post dies aliquot evenisset, videreturque Dux in incepto bello perseveraturus, est inter eum ac Imperatorium militem satis atrociter pugnatum, vicitque Burgundus tanto gloria majore, quanto bellicosorem fuderat hostem. Et hanc victoriam potius virtuti quam fortunæ debuit, nam & aciem peritissimè instruxerat, & promptissimè omnes pugnaverant. Non est post eum diem Romanus Princeps ausus cum Carolo manum conferere. Itaque de pace agi coeptum per Summi Pontificis Legatum Alexandrum Antistitem Foroliviensem, qui noctes diesque Principes hortari, ut arma exuerent, Burgundus Novesio discederet, quoad

quoad de re maturiùs cognosceretur, esset-
que Pontificis maximi ea cognitio. His
utrimque acceptis, pax sancita est, quam
excepit Gallicum bellum.

De Bello adversus Gallorum Regem.

NAm Ludovicus Rex Gallorum Arthe-
siam & Picardiam ingressus, plurima
Caroli Ducis oppida vi capta, diripuit. Quo
successu elatus, de Atretrato etiam oppug-
nando cogitavit. Verum huc tempestivè
missum præsidium, Galli conatus irritos
fecit. Priùs tamen quàm Ludovicus ex his
locis militem abduceret, pugnatum lego
inter eum, ac Duces, quos miserat Carolus
ad tuendum Atrebatum. Vicit Gallus, qui
ut erat numero militum superior, ita cum
longiùs abesset Carolus, multò etiam plus
animi secum attulerat.

*De adventu Eduardi Regis Anglia ad Ca-
rolum Ducem, & de Induciis cum
Gallo.*

Sub hanc pugnam, ab Novesii longa ob-
sidione domum reverso Carolo nuncia-
tur, appulisse Calisiam Eduardum Anglo-
rum Regem, cui ejus tam laboriosi itineris
causa

causa fuit, ut cum Carolo, qui rursus ingentem contraxerat exercitum, suas copias jungeret. Ita enim prius inter eos convenerat. Unâ igitur Galliam ingressi, tantum terroris Ludovico incusserunt, ut is repentè convocatis Regni primoribus, eos veluti in re trepida anxius consuluerint, quo pacto esset infestissimo hosti resistendum. Placuitque tum Legatos mitti, qui pacem peterent. Auditi Legati, non pacem, sed novem annorum Inducias impetrarunt. Hic tam insperatus rei exitus, ut incredibili Gallum lætitia affecit, ita Anglorum Principes malè habuit, quibus immodica vastandæ Galliæ cupiditas inceserat.

De Bello gesto in Lotharingia.

EDuardus undecim hebdomadibus in Caroli Provinciis commoratus, ad suos transmisit mense Septembri, quo tempore, & Carolus Namurcum venit: undè cum ingenti militum numero ante exitum ejus mensis in Lotharingiam, ob foedera sibi non servata, profectus, impetu primo Urbeculas aliquot vi cepit, captas, præsidio munivit. Quo successu Ducis perterritus Rhenus ejus terræ Princeps, annos natus circiter viginti, cum aliquot Nobilioribus

viris

viris in Galliam fugit, ne vivus in hostium potestatem veniret. Fuga Principis adeò fracti sunt omnium animi, ut effusus Caroli exercitus, paucis diebus loca plurima occupavit. Novissimè obsessum Nantiam longè munitissimum oppidum, tenuit obsidio illa novem hebdomadas. Urbs interea multum strenuè defensa, tandem fame domatur. Itaque factâ deditiõne, cives vitâ donati, præter duos trêsvè, qui ultimo sunt affecti supplicio. Animadversionis hujus causâ non traditur à Scriptoribus. Urbem deditam Carolus præsidio firmavit, atque indè digressus, totam Lotharingiam brevi ad obsequium redegit. Fuit hæc ultima ejus victoria. Vulgò creditum est, omni favore numinis destitutum eum, postea nunquam foeliciter pugnassè cum hoste, quod eodem tempore multò gravissimis exactiõnibus Clerum onerasset, quamquam expedit nonnunquam quosdam ad frugalitatem vocare, modò satis justæ ad id faciendum rationes accesserint.

De bello ejus contra Helvetios.

Subactis Lotharingis non diu in ocio fuit Carolus, sed bellicam gloriam augendi cupidior, transtulit indè bellum in

F Helve-

Helvetios, quod hi populi non multò antè Sabaudiam (ubi præerat Neptis ejus) tumultuosè ingressi omnia terroris ac prædæ compleverant. Itaque primum sunt missi ab Helvetiis Legati, quos Princeps Carolus vix auditos jussit confestim abscedere, atque ipse eodem tempore sequutus in urbe Granfonia, quam nonnulli dicunt ab eo tum expugnatam, plures Helvetios in crucem sustulit. Quo factò commota & irritata gens pugnatior, contracto exercitu hostem Burgundum adoritur certâ spe aut occidendi ejus aut fugandi. Helvetiorum impetu degravatus Caroli miles primò avertitur, indè fufus fugatusque multâ cum cæde dissipatur. Fuisset in eo prælio captus Princeps, nisi relictis suis loco discessisset fugienti similis. Sunt qui scribant hic periisse opes Caroli Ducis, tantum vasorum aureorum argenteorumque ac vestium omnis generis ab hoste deportatum, amissus & omnis bellicus apparatus.

De iisdem.

EXprimi verbis non potest quantum ex hac inimicæ gentis victoria dolorem animo conceperit victus Burgundio, qui vincere semper antea consueverat. Vir al-
to

to spiritu ac nimium quietis impatiens, neque die, neque noctu somnium capere potuit. Itaque reparato exercitu, iterum Helvetios adoritur, cum quibus infœlicissime nuper dimicaverat. Hic quoque vicit ac superior fuit Helvetius, quippè qui numero militum præstabat. Pars multò maxima Burgundionum aut capta aut cæsa, nullus ferè clari nominis fuit ex nostris, qui non illic ceciderit præter ipsum Ducem, qui re perditâ ac profligatâ cum paucis fugæ comitibus, fuga servatus est. Joanni Baptistæ dies fuit quo Helvetii & Burgundiones tantâ animorum pertinaciâ conflixere, qui huic proximus dies illuxit facilè declaravit, quæ terra sit ibi loci ædita cædes, numerata ei sunt à quibusdam viginti sex millia occisorum.

De recuperato Nantio per Renatum, & ejusdem Urbis obsidione per Carolum Ducem.

HAc clade suorum consternatus Carolus in maximum luctum ac mœrorem incidit, nunc secum reputans quantum hominum proximis duobus præliis, suâ temeritate orco demisisset, nunc existimans nihil esse turpius, quàm vinci cum

Ducem, qui toties ipse fortissimos populos ad obsequium redegisset. Cæterùm Caroli malis & tam nobili Helvetiorum victoria erecti plures populi confociatis viribus ut unum hominem extinguant, ad arma concurrunt, ac ductu Renati Principis Lotharingæ, Nantium ubi à Carolo præsidium fuerat relictum obsidione cingunt, nec multis interpositis diebus idem oppidum priùs expugnant, quam Burgundus eò cum suis copiis accurrere potuit. Expectabat enim ex Brabantia, & finitimis locis novum exercitum, quo accepto properans in Lotharingiam, Nantium iterum obsedit. His locis ab hoste (quod minimè futurum verebatur) circumclusus, tantâ rerum omnium inopiâ laboravit, ut in ejus exercitu plures fame sint extincti. Itaque indignantium militum voces passim exauditæ, fatiùs fuisse dictitantium, in patria manere, ubi conjugibus suis ac liberis assidentes, nullâ interim neque cibi neque potus inopiâ præmerentur. Abductos se in ea loca quibus aut procul à patriæ conspectu moriendum sit, aut quod morte miserius est ac tristiùs in servitute vivendum. Hæ militum querelæ non dubium est, quin Principem suorum amantissimum commoverint, verum in eo statu res erat, ut mederi tantis malis non potuerit.

*De pralio ante Nantium & cade Caroli
Ducis.*

HAud multò post Lotharingus ad pugnam evocat Burgundum, qui unâ parte copiarum in obsidione relicta, statim venit ad locum certamini constitutum, acie dimicaturus cum paucis adversus tam multos. Hic suos perterritos hortatus dicitur ut alacres irent, & gloriam à majoribus acceptam posteris relinquerent, adeò non esse formidandum hostem. Helvetium qui pavore Burgundici agminis haud sua virtute bis fœliciter antea dimicasset, numero militum vincere Helvetium; sed non rarò modicis copiis præpotentes fusos esse exercitus. In hanc sententiam ubi pauca nequidquam dixisset, canentibus signis Renati miles cum tanto fremitu & clamore in hostem procurrat, ut statim turbatum eo loco summoerit. Neque difficilè admodum erat, pugnant enim cum recentibus & integris, debiles macie confecti. Primum igitur facta fuga, deindè innumeri cæsi ac primo impetu obtriti ex nostris. Quis tam beata rerum ac verborum copia instructus ut cladem ejus multiplicem, devictorum fœdissimam fugam, eadem nunc singulorum,

nunc universorum meritò deplorèet? Vidisses alios quâ brevissima patebat viâ trepidos fugere, alios per præcipitia nunc saxis aspera, nunc obducta sentibus, loca petere, quæ hostibus ignota putarent. Fatigata siti propemodùm evecta & saucia passim corpora jacebant. E proximis verò locis, virorum clamor & foeminarum ululatus audiebantur. Hâc pugnâ Carolus ipse qui eo die & sæpè aliàs majore animo quàm consilio dimicaverat, tribus plagis mediâ jacentium strage confossus interiit, pridè Epiphaniæ. Hic finis fuit Principis, omnium qui eâ tempestate fuerunt bellicosissimi. Annus ille, quo Dux tam nobilis ante Nantium cæsus est, fuit humanæ salutis M. cccc. lxxvj. ita colligit Sabellicus. Alii duos adjiciunt, rursus alii quinque subtrahunt annos. Varietatem hanc demiror in re adhuc recenti, cum Sabellico vulgus consentit, consentiunt natu Grandes, quorum memoria res accidit.

De Caroli sepultura & sermone qui de eo jam mortuo fuerit.

AB illâ pugnâ exacto jam triduo, Caroli corpus certissimis signis agnitum sepelitur Nantii in Æde S: Georgii. Cùm sepeliretur

peliretur intuentibus qui ex clade illa supererant, obortæ lachrymæ, non erant enim ignari qualem Patria Ducem amisisset. Obversabatur oculis multa viri virtus, hærebat fixus in pectoribus adstantium vultus militem in prælium educentis. Occurrebat quo animo urbes oppugnare, muros conscendere, hostem loco summoveere consuevillet. Cæterùm proximo septennio quod est viri cædem infecutum, omnibus locis multus & varius de illo jactatus est sermo, affirmantibus quibusdam vivere eum Bruxellæ oppidulo Sueviæ. Aliis contradicentibus, non interemptum antè Nantium, sed captum & abductum in Gallias, ibi in conspectu Regis Ludovici gladio admotum periisse. Spes de Caroli vita quæ postea vanissima comperta est, in causa fuit ut paucissimis locis celebratæ sint ejus exequiæ.

De Tristitia & Lætitia in morte ejus.

MOrte Principis hujus, plurimi tristi, quidam lætati sunt. Oderant ii impendio pugnacem. Oderant ob assidua bella pecuniæ exactorem. Defuncto tamen eo, in Brabantia & Flandria exorti & sequuti majores motus fecere, ut reviviscere Carolus omnes cupierint. Aded stolidum

vulgus nonnihil mutatis rebus ea probat,
quæ antea damnavit.

De filia, & ejus uxore.

Filianam reliquit hæredem Mariam, excellenti forma virginem. Quæ illi ex Isabella, conjugæ secunda (tres enim duxerat) suscepta, nupsit postea Maximiliano, Frederici Imperatoris filio. Ultima ejus uxor Margareta defuncta marito, pluribus annis supervixit. Certè multorum bono, suis enim facultatibus interim præclara fovit ingenia, studuitque modis omnibus partim culpâ temporum, partim Principum negligentiam ac vitio jacentes literas præcipue sacras excitare. Nulli unquam attribuit Sacerdotium, nisi prius & eruditionem, & vitam inspexisset. Quod utinam & hodiè facerent Principes, non tam multos passim videremus idiotas in Ecclesia Dei, quos fortasse præstaret defricandis Principum matulis, quam hominum conscientiam præesse. Mechliniæ sepulta est hæc nobilissima foemina, in Cœnobio Minoritanorum. Ex quâ Carolus nihil liberorum tulit. Undè miror, quidnam Raphaëli Volaterrano in mentem venire potuerit, ut referret in literas Mariam (de quâ diximus) hujus

jus filiam Margaretæ fuisse. Non debuit, meo iudicio, vir tantus, & is Italus, in rebus nostratibus conscribendis, potiùs hominum sermonibus, quàm libris credere.

De Præliorum assumptione.

H Actenus de gestis Caroli Ducis. Nunc summatim exponam quæ de ingenio & moribus ejus habeo comperta. Prælia multa sic assumpsit, ut militem sæpiùs nihil tale cogitantem, jusserit acceptis armis in hostem ire, pluvio interdum cælo, & gravissimis tempestatibus, cùm mimimè educturus putaretur. Et quod mirum videri potest nec provectior quidem, ad conferendas cum hosse manus cunctatior factus, quo sæpiùs victor abiisset, hoc magis incertum pugnæ eventum experiendum opinabatur. Nullo unquam prælio vicit, quo non statim sit fugientem hostem insequutus. Adeò nihil spatii datum ab eo, perterritis.

De probitate & disciplina ejus in Milites.

I Nter milites suos, neque morum, neque fortunarum, sed virium respectu alium alii præferebat, & erat in his tractandis nunc

severus, nunc facilis. Haud enim omni loco ac tempore, sed cum non procul abesset hostis, coercere eos & comprimere solebat. Ita factum, ut nunciato in praelium exeundi tempore semper eos & parato & intentos haberet.

De coercione Militum ejus, & amore in eosdem.

Desertorem ac furacem militem acerrime puniebat, cætera plerumque dissimulans. Quemdam patibulo suffixit, qui aniculae gallinam subtraxerat. Amabat etiam suos usque ad eum, ut nullo non benevolentiae officio prosequeretur. Adversa valetudine laborantes, & faucios Medicis committebat fidelissimis.

Quomodo non sit passus Militem luxuriam diffluere.

IN hoc Cæsarem illum Dictatorem aut Africanum, Scipionem, aut Metellum præclarum Ducem referebat, quod in suo exercitu nihil eorum passus est esse, quibus corrupti & effœminati militum animi à studio rei militaris averterentur. Aberant enim adipata obsonia & bellaria, exulabat

commessatio, exulabant reliqua omnia ad luxuriam pertinentia. Vulgari cibo contenti, procul à fame servabantur, adque ob-eunda militaria officia hoc pacto expedi-tiores ibant.

Quantus fuerit amulus Alexandri Magni.

CArolus rebus gerendis natus, jam indè ab obitu Patris sui Philippi, tantùm se præbuit Alexandri Magni æmulum, ut penè ille ipse sit factus. Nihil audire libentiùs, nihil majore animi voluptate solebat legere, quàm authores qui de Alexandro quippiam scripserant. Undè factum est, ut omnia illius egregia & laudabilia facinora, memoriæ mandaverit, oblatâque occasione, nunquam non studuerit imitari.

De consilio ejus præferocì.

VNum erat in quo merito culpari potuit, præcipitatum consilium. Nam & bella quædam suscepit, nullo prudentium (quos secum habebat) in consilium adhibito.

De celeritate ejus in faciendo itinere, & patientia in labore.

Hunc tam præcipiti, ac præferoci consilio virum, in castris Hannibalem, in conficiendis itineribus Julium, aut Alexandrum quemdam dixisses; algoris enim, & solis juxta patiens fuit, tot illi frigidæ hyemes ac torridæ sub pellibus actæ æstates. Itinera verò tantâ celeritate confecit, ut sæpiùs de suo adventu, præmissis nunciis, anteverterit, sæpiùs hostem de improvviso opprefferit.

M A R I A . I.

Patri mortuo succedit.

Postquam Carolus in humanis esse desiisset, Brabantia, Flandria, Hollandia, aliarumque regionum finitimarum Principatus in Mariam filiam ejus unicam recidit; quæ Gandavi agebat, cum tristissimum de cæde parentis acciperet nuntium. Venerunt illuc haud multò post illustres viri complures, partim consolaturi

tari fœminam, quæ parentis obitum, ut par fuit, graviter molesteque fœrebat, partim cum ea de Reipublicæ administratione collocuturi. In his erant Ludovicus Borbonius, Leodinorum tunc temporis Antistes, David Burgundio Trajectensium in Hollandia Episcopus, Mariæ patruus, hic enim Caroli frater, sed nothus erat; Joannes Dux Clivensium, & Adolphus Ravesteynius fratres, Vuolphardus Veriensium Princeps, Ludovicus Comes Vuintesteynius, Hollandiæ, Zelandiæ ac Frysiæ Præfectus; Gualravius Brederodius: quibus Gandavum ingressis, statim in eadem urbe Maria Principatum Flandriæ suscepit, ac privilegia civibus reddidit omnia, quæ Pater ob exercitatum se præfente tumultum illis ademerat.

Legati in Galliam missi, & magni aliquot viri supplicio admoti.

Secundum hæc, Maria ad Regem Galliarum Ludovicum Legatos misit: Guolphardum Veriensem, Ludovicum Gruythusium, & Guilielmum Hugonem, qui Cancellarius fuerat Caroli, ut hi suo nomine Regi præstarent Homagium: vulgari utor voce, ut nemo non intelligat.

Lega-

Legatos priusquam à se dimitteret Ludovicus, dūo ab his Mariæ cognatæ suæ renunciari voluit: ut orbata parente, se tutorem illa rerum suarum acciperet, eademque filio suo Carolo, qui tum annos natus erat dumtaxat septem, nuberet. Ad Principem suam reversi Legati, hæc ita ut iussi fuerant renunciaverunt. Primum nihil respondit Maria. Patris interea mortui Cancellarius suadere ut id faceret, ad postremum etiam dicere, minimè eam rebus suis consulere, ut quæ has nuptias, & illum tam potentem, & sanguine junctum Principem tutorem recusaret. Quodam igitur die sub vesperam, ad se ingresso Adolpho Ravesteinio Principi, multis cum lachrymis quæritur, nimis sibi molestum esse Hugonetum, qui non desisteret instare, ut quæ Rex Ludovicus proximâ Legatione petiisset, ea faceret, quandoquidem haud aliâ viâ pacem ab illo impetratura videretur; exierant enim Induciæ. His auditis, Adolphus paucis eam, ut potuit, consolatus, abiit: ac re cum Tribunis populi Gandavenfis, communicatâ, effecit ut statim apprehenderetur Hugonetus, & cum eo Prothonotarius quidam Pontificius, quâ nocte hæc acciderunt, clanculum fugit Princeps Humbercurtius; is cum dies aliquot latuisset in Cartusiaco

extra Gandavum Cœnobio, apprehensus & ipse in oppidum retrahitur: Ita his tribus viris in vincula coniectis, populus aliquamdiu in armis fuit. Hugonetus quæstioni admotus, tandem confessus, traditur à se suppressas literas Caroli Principis, quas ille antè Nantium inopia rerum omnium laborans, quæ ad bellum gerendum necessariæ essent, ad suos conscripserat hoc argumento: Nisi pecunia & commeatus, belli subsidia mitterentur, actum de se ac suo exercitu esse. Rabies igitur ac vulgi furor invito Magistratu, invita etiam Principe, Hugonetum, Humbercurtium, & Joannem Mel cognomento, Equitem auratum gladio subiecit. Prothonotarius in carcerem coniectus, ubi post annos aliquot expirasse creditur.

Maximiliano desponsa Maria, Gallus Atrebatum obsidet; alia quadam occupat loca. In his & Burgundiam, Flandri educunt in agrum Tornacensem.

TReviris in Germania Frederici Imperatoris filio, Maximiliano filiam unicam Mariam desponderat Carolus, anno salutis humanæ, Millesimo, quadringentesimo, septuagesimo quinto. Nec multò post antè Nantium cæsus Princeps nobilissimus,

simus. Gallorum itaque Rex Ludovicus cum audisset futurum, ut Maximiliano Frederici filio nuberet Maria, plenus irarum subito contractis viribus Atrebatum venit, quam urbem dies aliquot assiduis bombardarum ictibus oppugnatam, ad postremum in deditioem accepit, pluribus ejectis, quibusdam etiam occisis qui Mariæ favebant. Ingressus Arthesiam, vi cepit oppida quæ Burgundo cesserant, quo tempore pugnatum est ad montem Henrici, ut alio diximus loco. Sub idem tempus & Burgundiam nostratibus ademit, existimans eam jure hæreditario mulieri accedere non posse, nam virilem stirpem nullam reliquerat Carolus. Videbantur Galli & alia occupaturi loca, nisi resisteretur. Itaque conscriptus exercitus mittitur Avennas in Hannoniæ. Huc cum armata manu accurrens hostis, oppidulum expugnat. Capti Duces copiarum nobiles ac generosi viri omnes magnè sunt postea redempti. Tornacum eodem tempore à Gallis præsidio firmatum, undè quotidianis propè incurfionibus factis in Flandricum agrum irritati Flandri copias contrahunt. Copiarum imperium defertur Adolpho Principi Gelriæ, qui per id tempus attentè custodiebatur in arce Cortraci. Hunc verum custodia eductum, secuti

cuti milites , vastato latissimè Tornacensium agro , ad ipsa usque incœnia urbis accessère. Amisso Duce , Flandri retrò abiere , ubi nullo adhuc memorabili edito facinore , Dux Adolphus in viridi quodam pratulo , ab his qui se portis effuderant , occiditur , frustra eum defendente Joanne Grachio , qui & ipse loco eodem confossus est. Mortui Ducis corpus avectum , honorificè funeratur apud Tornacenses. De hac victoria suorum factus certior Ludovicus , venit in spem totius propediem in suam potestatem redigendæ Flandriæ.

Deficiunt Gelrii à Maria , in Buscoducenses educunt , Brabanticum agrum latè vastant.

Occiso antè Tornacum Adolpho , desciverunt & Gelrii à Maria ; cujus autores defectionis fuisse traduntur Noviomagenses & Sutphanii : Catharinæ forori nuper cæsi Adolphi traditâ administratione. Gelrii ex nostris ceperunt claris ornatos natalibus viros , Fridericum Iselsteynium , & Guilielmum Egmondanum , cum parte familiæ utriusque. Hos Noviomagum perductos , triennium perpetuum vincetos servarunt , postea suarum imperium copiarum
Frede-

Frederico Brunswecensium Principi in Gelriam accersito, decreverunt: quo Duce freti, in agrum Busciducensem incurSIONEM fecere; sed hi resistentes, multò plus damni Gelrio intulerunt, quàm antea accipissent, ipsi obsiderunt & Graviam oppidulum. Hic omnibus clausis itineribus, quâ commeatus ad obsessos inferri potuisset, brevî ad deditiONEM compulsi cives Gelrii. Sub id tempus & in Brabanticum agrum & Clivensem tumultuosius evecti, pluribus locis atroci excitato incendio; multos ex utraque gente captivos abduxerunt.

Tumultus civium Bruxella. Ex plebe creati Magistratus.

NOvis postea motibus, discordiaque per Brabantia & Flandria oppida laboratum est. Bruxellæ, vulgus cùm impetrasset, ut summotis Magistratu, qui ex illustribus aliquot familiis complures annos summæ rerum præfuerant, sibi liceret quòtannis ex corpore civitatis totius renovare Senatûm, auxit hunc tumultum nova creatio. Creati quindecim viri ex eodem corpore, quorum studio ac diligentia brevi temporis spacio factum, ut grande æs alienum dissolverint, & urbem pristino restituerint

tuerint vigori. Post aliquot indè annos mutatis in diversum rebus, permiffa est iterum administratio Familiis magnâ certè jacturâ reipublicæ.

Conspiratio plebis adversus primores Lovanii, apprehensus oppidi Præfectus conspirationis Dux, Pauvel Luenken in Zelandia decollatur.

PER eadem tempora fuit & Lovanium in motu, conspirante plebe adversus Senatum ac primores civitatis, qui Gallorum Regi, cum quo tum acre dissidium erat, favere dicebantur. Conspirationis Dux erat Lanius quispiam Paulus, cognomento Luenken, vir non pessimus omnino, sed lingua promptus. Hic apprehensum oppidi Præfectum Ludovicum Pinnoc, & Principes civitatis aliquot gladio, ut cupiebat, subjicere non potuit, quòd lictorem non haberet. Thenensium qui vicini sunt populi, accersitus lictor non venit. Et Lovanii in tanto vulgi tumultuantis adversus Magistratum odio, nemo tamen reperiri potuit, qui lictoris fungi ministerio vellet. Duravit hoc malum quoad Nassavius Princeps, cum armato milite in Lovaniensem agrum ad comprimendos motus irrupit;
hic

hic veriti autores tumultus futurum, ut si urbem expugnasset, capitali supplicio afficerentur, aliis alio clam dilapsis, Paulus omnium Princeps in Zelandiam applicuit, ubi Cruningæ, qui pagus est ejusdem Insulæ, apprehensus decollatur. Urbis enim Præfectus Ludovicus, quem durante motu captivum habuerat vulgus, ad singulorum pænè Magistratus locorum insignium scripserat de Pauli fuga.

MAXIMILIANUS I.

Eius adventus ex Germania superiore, quanto idem gaudio sit exceptus Gandavi, in qua Vrbe duxit uxorem Mariam.



Civiles in Brabantia & Flandria tumultus, nam per singulas penè urbes ea pestis vagata est: conquierunt aliqua ex parte adventu Maximiliani Archiducis Austriæ, quem Pater Fredericus Imperator miserat in hæc loca, ut uxorem duceret Mariam, Caroli nuper ante Nantium cæsi Ducis filiam unicam. Hæc agebat id temporis Gandavi, quo per
Lova-

Lovanium & Bruxellam Brabantiae oppida cum ornatissimo agmini procerum Germanorum, quos illi proceritate insignes, vestituque eleganti, auroque exornatos, equis atque lanceis conspicuos parens Fredericus adjunxerat, proficiscitur. Jam Teneramundam venerat, cum Gandavum allatus est nuntius adventare Principem; Senatus statim universus, multique alii ejusdem urbis clari Cives, ad portam Bavonis occurrentes, felicem Archiduci adventum gratulati sunt. Ad ingressum novi Principis undique procurrere pueri, profiliere adolescentes, effudere sese juvenes, praemoliti senes, gratulati, applausi, omnes sublatis in coelum manibus immortalis Deo gratias egerunt. Ducalem aulam ingressum, nobilis illa virgo Maria sponsum optatissimum obviis ulnis excepit, ac lachrymis gaudio manantibus est excusculata. Accedens deinde Tornacensium Antistes, praesentibus & Aulicae nobilitatis, & Ecclesiasticae dignitatis Summatibus, stabili eos jungit connubio. Fuit hic annus, quo Archiduci Maximiliano nupsit Maria, millesimus, quadringentesimus, septuagesimus nonus, ab eo, qui primus exordium dedit nostrae salutis.

Trajectenses bellum Hollandis inferunt. Hollandi pagum Eminissam incendunt : Trajecti cives cum Hollando pugnant, & vincuntur.

AB Hollandis bello postea Trajectensibus inducto : Zelandos invenio rogatos ut fociis Hollandis adjungerent sese, negato auxilio, medios ac velut Tragœdiæ hujus spectatores sedisse, multum est utrinque acceptum incommodi ; Eversæ sunt arces, incensi pagi, alia nefanda perpetrata. Nardinum Hollandiæ oppidulum à Trajectensibus captum atque direptum est, quam injuriam dimicaturi Hollandi cum exercitu haud contemptibili equitum pariter ac peditem profecti, venere ad Eminissam ; hic Pagus & amplissimus & munitissimus erat ; huc abegerant pecus omne suum finitimi, omnes accolæ, & alia pleraque, lectos, vestem, aurum huc importaverant, hos adorti Hollandi, cum aliquamdiu oppugnassent, vicerunt, victos ad unum omnes trucidarunt ; postremò direptis omnibus ædificia & publicâ & privatâ incendio consumpta sunt. Lego in Commentariis quibusdam rerum Hollandicarum nostrate linguâ conscriptis, hunc Pagum fuisse miliarii unius longi-

longitudine. Hollandi post victoriam Eminissensem longiùs eveci, festo die Prothomartyris Stephani incenderunt Pagum Westbruc, credo, ut sic ad pugnam Trajectinos evocarent, qui è portis ac munitio- nibus suis conspecto incendio, arreptis ar- mis cum Hollando temerè congressi, mag- nâ suorum strage fusi fugatiq̃ue sunt: fu- gientem hostem infecuti Hollandi, parum abfuit, quin & urbem ipsam ceperint. In hâc pugnâ cæsus est Consulum alter ejus anni, multiq̃ue alii & probi & opulenti Ci- ves, quos non spes prædæ, sed patriæ amor ad arma conciverat.

Maximilianus in Arthesiam cum exercitu proficiscitur. Idem ante Morinum à Gallo victus, apud Lucenburgos vincit: Per Cardinalem Ostiensem pax frustra tenta est.

ANno à Christi Incarnatione, Millefi- mo, quadringentesimo, octuagesimo primo, venit Maximilianus in Arthesiam bello recuperaturus oppida, quæ Gallus occupaverat. Subsedit exercitus apud Lentium, id enim nomen loco, indè nec procul aberant Gallorum copiæ, sed nec ullam tentavit Archidux obsidionem, nec se loco movit

movit Gallus ; invenio de induciis aliquot annorum inter eos convenisse. Eodem ferè tempore laboratum est nostris in locis maximâ annonæ caritate, quæ multos duravit annos. Sub exitum induciarum Maximilianus Arthesiæ contra hostium incurfiones tuendæ præfecit Comitem Romontensem, cujus solertiâ Ducis Cameracum eodem tempore est occupatum ; Flandriæ gubernatio tradita Petro Comiti Brianio, quâquam podagra ferè perpetuo laboranti ; vir enim erat prudentiâ singulari, quâ nihil est magis in bello necessarium, cum omnia priùs consilio, quàm armis experiri oporteat. Ita ordinatis rebus, Archidux ipse cum ingenti armatorum manu, ad obsidendum Morinum est egressus, fecitque castra non longè ab oppido ; hinc certior factus de hostium adventu, obviam processit, aciem disposuit, subsidia locavit. Sed Gallorum qui numero præstabant, tam celeri incurfu atque impetu, nostrorum signa turbata, cædes ædita, & amissæ machinæ, sed paucæ. Eodem momento per occasionem erumpens Morino præsidium Flandrorum munitiones adoritur, ubi cæsis, quos invenissent, multa, vestes (credo) sericas, aurea & argentea vasa, quæ Archiduci magno constiterant, secum deportarunt. Pertraxit

cò spes prædæ & aliam Gallorum manum, quos infecutus Archidux ad quinque millia traditur occidisse. Inde Aream se recepit Arthesiæ oppidum ; quæ res eum à Morini obsidione retraxerit, non reperio in Commentariis. Comes Romontensis postea missus ad oppugnandam Arcem Malonnoy, paucis diebus eam cepit, Præfectum arcis nobilem virum ad se perductum, Maximilianus laqueo necari iussit, quinquaginta aliis, sed ignobilibus adjunctis. Quâ de re cum certior factus esset Gallus, ut indignam tanti viri, sibi que charissimi necem ulcisceretur, ex Burgundis quos à prælio ante Morinum captivos habebat, complures eodem genere supplicii è medio sustulit. Per eadem tempora Flandris atque Hollandis plurimæ sunt ademptæ naves, totum mare infestantibus Gallis; iidem postea Lucentburgensium agrum incurstantes, ferro & igni vastarunt. Cujus fama belli excitus Archidux Brabantia educit exercitum. Acie congressus cum hoste primùm infeliciter pugnat, donec opem ferentibus Alemannis, Gallorum agmen terga daret. Non multis post diebus iterùm agi de induciis cœptum, quas invenio utrinque pactas in Kalendas Apriles proximè sequentes ; erat autem Mensis Augustus, cum hæc agerentur.

Octobri proximo agitatum de facienda pace inter Gallum & Archiducem, maxime adnitente Juliano Cardinale Ostiensi, qui nostrâ memoriâ Pontifex, Apostatæ fugiens appellationem duabus extritis è nomine suo litteris, Julium vocari se jussit, Julii dictatoris illius nomenclatura delectatus. Cujus & mores eum in quibusdam retulisse accepimus. Is inquam Ostiensis in hoc Tornacum venerat, ut Principes inter quos acre dissidium erat, in gratiam redigeret. Verùm ut nihil se vidit proficere, in Gallias primùm, indè Romam est reversus.

Indueia inter Principes. Quadam de Ioanne Burgundo, & Henrico à Bergis; Cameracensium Episcopo.

TEnentibus induciis neuter alterum infestavit. Kalendæ Apriles cùm jam adessent, prolatum est tempus induciarum usque in Julii mensis initium. Hoc Aprili Mechliniæ diem obiit Joannes Burgundus Antistes Cameracensis. Deus hominum sceleribus iratus, tales dare solet ovium Pastores, hoc est libidini, comessationibus & avaritiæ deditos, nonnunquam etiam pueros moribus & ætate. Qui susceptus est Joanni Henricus à Bergis vir fuit nulli optimorum
Anti-

Antistitum pietate aut alio virtutis genere secundus. Victum impertiebat egenis, succurrebat laborantibus, orabat frequenter; docebat etiam, quod enim docendi genus salubrius, ac optimo illi & uni Deo gratius, quàm aberrantes rectè monendo concionandoque ad viam reducere virtutis; quod ille strenuè faciebat. Adjiciam quod & studia coluit, studiosos amavit, fovit, provexit. Multorum qui ad communem utilitatem aliquid conscriberent portus, sinus, præmium, ipsius denique Latinæ rei tunc temporis ruinose & nutantis reductor ac reformator.

*Maximiliani in Hollandiam navigatio ad
exinguenda mala, quibus tum ea regio
laborabat.*

Maximilianus eodem mense navigat in Hollandiam, extincturus perniciosissimam illam dissentionem quæ populum in duas factiones diviserat. Alteri ab hamo, alteri à pisce asello inditum erat nomen: Civitati cum civitate non conveniebat, frater fratri minabatur exitium, filius patrem suis manibus extinctum cupiebat: Utrimque cædes, utrimque innumera sunt edita latrocinia. Sæviit multos annos tota Hol-
G 2 landia

landia hoc malum longè teterrimum, ac nescio an etiamnum reliquæ restent pestis hujus.

Missi legati ad prorogandas inducias. Edictum Gandavensium ob rei frumentaria inopiam.

Appetebat jam mensis Julius, quo tempore missi sunt aliquot è proceribus Atrebatum, ubi cum regis Legatis egerunt, ut rursus in annum unum induciæ fierent; laborabatur fame diversis locis. Edicto imperatum Gandavi & Brugis, ne quis frumentum pluris venderet, quàm statuisset Senatus. Qui domi habebant plura modiorum millia in publicum ferre ac vendere sunt compulsi.

Maria casus ex equo. Ejusdem obitus, & proles.

AGens in Flandria conjux Archiducis, cum die quodam levandi animi gratia venatum exisset (venandi enim studio tenebatur) ibi vel equo in præceps abeunte, vel alio casu, certum enim non traditur, ad terram excidit; graviter læsa Brugas deferretur.

tur. Ad eam curandam accersiti undique medicæ artis scientissimi viri, sed malo artem superante, haud multis post diebus vita decessit, cùm annos nondum quinque Archiduci nupta fuisset, gubernasset autem quinquennium, hebdomadas undecim & dies quatuor. Ita colligit, qui nostrate composuit sermone nostratium rerum Commentarios. Vulgato Mariæ obitu incredibilis omnium luctus occupavit. Defuncta fato tam nobilis, tam proba, tam inculpata vitæ mulier, magnum sui desiderium reliquit omnibus ejus ætatis hominibus. Liberos ex ea tulit Maximilianus, Philippum de quo Principe dicendum est alio loco; deinde Margaretam, cujus nutu ac voluntate fœminæ, nostratium quinque Provinciarum respublicæ gubernantur. Digna prorsus hæc mulier est quam inter prisca illas Heroïdas omnis referat posteritas; Franciscus ultimo loco natus infans extinguitur.

*Maximilianus uxore defuncta liberis suis
Tutor dari cupit.*

Post excessum charissimæ conjugis, Archidux modis omnibus operam dedit ut liberis suis nondum puberibus, ipse Tu-

tor daretur, patriam defensus armis adversus Gallum, qui ab obitu Mariæ Flandrorum fines ingressus, omnia cæde & incendio fœdabat. Convocati sunt igitur Gandavum postridie Kalendas Maias eodem anno Primores omnium civitatum. Hic placuit non permittere Maximiliano gubernationem, nisi ad certum tempus, & ut ipse iusiurandum daret se nihil statuturum nisi prudentum iudicio comprobatum; erat enim juvenis ipse, & nimium his tribuebat qui aliorum incommodo suis consulere rationibus.

Quos jusserat occidi innoxios Archidux.

NON multò post, ex Lovanio, Bruxella, Antverpia cives aliquot, viri prudentes Mechliniam missi, ut hic liberiùs inter se consultarent his de rebus, quas Lovanii paulò ante conventu Primorum indicto, Maximilianus proposuerat, ut liberis suis qui nondum pubertatis annos attigerant, quod modo diximus, Tutor daretur: itaque Mechliniæ trium primores urbium consultantes, Archidux quorundam, qui sibi non patriæ commodis studebant, secutus consilium, apprehendi, apprehensos in arce Vilvordix loco munitissimo custodiri jussit.

jussit. Objectum eis, quòd clam principe suo Mechliniæ modò, Alofti aliàs cum Flandris collocuti, res novas molirentur; qui apud ducem erant homines inexplebili avaritiâ, consuluerunt, ut de his supplicium sumeret, ita futurum rati, ut exemplo deterritæ urbes, liberorum tutelæ administrationem patri deferrent, ipsique tunc omnia pro sua libidine administrarent. Princeps juvenis huic consilio accedens, ferè omnes gladio subjecit: in quibus fuit Nicolaus Heetveldius, cujus viri & multum illustris, & optimi & egregiè prudentis mortem plurimi deflexerunt.

Liberorum tutela Maximiliano defertur.

Post longas urbium consultationes tandem suorum factus Tutor Archidux apud Lovanium inauguratur, sed his legibus, ut non diutiùs præsit, quàm id visum fuerit civitatum primoribus expedire. Plena erat hominum rapacium Aula Principis. ii non dicendis exactionibus ditionem præmebant: Miles, cui stipendia soluta non erant, omnia in agris absumpsit; plures hoc pacto ad mendicitatem adacti agrestes. Non paucos furta & latrocinia tentare coegit egestas; quo rerum pessimo statu ob cre-

bras ventorum tempestates, fulmina, tonitrus, pluvias, calores & frigora intempestiva, nec seges in agris maturefcere potuit. Credo has minas fuisse Numinis irati sceleribus hominum.

*Leodiensium Episcopi Ludovici Borbonii
indigna cades, atque indè se-
cuta mala.*

PER eadem ferè tempora non vulgaris exemplum sævitix Leodii est editum circa loci Antistitem. Guilielmus Aremburgus homo insolens, ambitiosus, & ut paucis dicam, eo ingenio, ut quicumque ipsum ad crudelitatem, ad scelera patranda exacuebant, rabiem innatam quasi signo dato provocarent, is inquam talis in Ludovici Borbonii Antistitis caput conjuraverat. Ob id exul postea declaratus, cum sceleratorum manu, qui numero leguntur fuisse duo millia, venit in agrum Leodiensem, oppugnaturus Ludovicum Burgundicarum partium hominem. Contra Aremburgum educitur Antistes, priusquam egredi urbem potuit, occiditur, angustias fortè quasdam ingressus, ubi adorti sunt eum scelerati aliquot latrones, quos ad facinus perpetrandum ab hoste conductos fuisse, verò simile

simile est. Secundum hæc Aremburgus Leodium hostiliter occupatum totius Burgundicæ familiæ odio graviter afflixit. Cæsi Ludovici amicos & fautores bonis ac fortunis omnibus exutos, ejecit oppido, quosdam etiam occidit. Hujus rei fama statim ad Brabantos finitimam gentem serpsit. Qui metuentes ne Gallorum Rex, occiso jam Antistite, Leodiensem agrum ingressus, Brabantia quoque loca vastaret. Simul ut tam indignam Episcopi cædem vindicarent, arma sumpserunt. Primi omnium Lovanienses, post habita etiam annuâ supplicatione suâ, quæ in primos dies mensis Septembris incidere solet, egressi cum armata manu, insequentibus statim & aliis oppidum sancti Trudonis adorti, in dedicationem acceperunt. Captum postea eodem calore Hasletum, trucidato militari præsidio, quod illuc ad tuendam locum Aremburgus miserat. Tongri quoque se dediderunt. Jam Brabanti ad Leodium etiam obsidendum magnis copiis excurrebant, undè Aremburgus, videns imminere sibi, ac suis periculum, si urbem hostis expugnasset, Brabantici Ducem exercitus ad colloquium pertraxit. Atque ita cum eo locutus est, ut subito mutatis rebus, jussi sint domum redire nostrates. Apud quosdam

scriptores invenio promissa Nassavio, penes quem fuit copiarum imperium, aliquot aureorum millia, si domum reduxisset exercitus. Occiso Borbonio, per electionem primùm, deinde Romani Pontificis accedente confirmatione, fit Leodii Episcopus Joannes Hornius, Principis Hornii frater. Ut hunc excluderet Aremburgus (nam in locum cæsi Antistitis, filium eligi & surrogari suum volebat) Tongrorum urbem occupat, ejectis inde Brabantis. Novum hinc exarsit bellum. Gens Brabantica largo stipendio contractis copiis eo rediit, cum hoste totis viribus descensum est in aciem, fuitque prælium ingens; vicit tandem Brabantus, cæsaque sunt ad tria millia hominum. Nec multò post Aremburgus die quodam sancti Trudonis oppidum egressus, dubium laxandi animi causâ, an ob alia negotia, capitur à Frederico qui Joanni Hornio Antistiti frater erat: indè Trajectum ad Mosam perductus, gladio subjicitur, universâ id vidente civitate, luitque meritas suæ pœnas insanix. Hanc ejus mortem postea ut vindicarent amici, & novum Antistitem, & Trajectinos vehementer affligerunt, everfis eorum Castellis, agro latè vastato, incensis pagis, trucidatis colonis.

Maximilianus Rex Romanorum declaratur: Idem cum patre in Brabantiam rediit.

ANno partus Deiparæ M. cccc. lxxxv. Francfordiæ nobili emporio superioris Germaniæ, Maximilianus Frederici Imperatoris filius, Rex Romanus declaratur, permittente id patre. Hermolaus unde Barbarus in oratione quadam ad Fredericum: Hunc tamen, inquit, opinione nostrâ, fructum anteaactæ vitæ tuæ maximum cepisti, quòd filium generosissimum, qui nobilissimas gentes, ferocissimos populos, bellicosissimas nationes non minùs armis, quàm sapientiâ vicisset, regem Romanum; te vivo renunciari permiseris; hætenus ille. Non multò post Fredericus una cum filio Brabantos & Flandros invisit, à quibus exquisitissimis est acceptus honoribus. Redeuntem in Germaniam Fredericum patrem comitatur Maximilianus; unde postea cum satis numerofo exercitu, ad hæc loca reversus, movit in Picardiam aliquot ejus terræ urbeculas oppugnaturus, quæ Gallo cesserant. Quidam scribunt, ab eo, qui per id tempus Gallicis præerat copiis, pecunia & largitione corruptum militem

detrectasse pugnam. Itaque Rex pudefactus, nullo hinc edito memorabili facinore, abiit.

Brugis tumultu exorto Maximilianus capitur. Pontifex Innocentius anathematis fulmen autoribus facti minatur. Fredericus Imperator cum exercitu venit, iratus in Gandavenses educit. Flandricus ager latè vastatur.

IAm Brugis & Gandavi duarum in Flandria maximarum urbium cives detrectabant Imperium Romani: Non quòd huius Majestatem contemnerent, sed in causa erant Consiliarii, multa inclementer extorquentes à bonis ac Principi suo impensissimè deditis civibus. Præter cæteros multum erat suspectus quidam Petrus cognomento Longocollius, Regi à Thesauris factus. Igitur his de rebus certior Maximilianus cum omni Procerum ordine & consilio Brugas venit, ut à se alienatos, ad Imperium retraheret; verum evenit longè aliter. Senatus Brugenfium Regii Concilii postulationes rejecit, rejecit & populus, undè confestim novis motibus urbs exerceri cœpta est. Medio tumultu Rex ipse, & Longocollius cum aliquot aliis apprehensi, custodia

stodiæ traduntur : in tantis malis ad Pontificem Innocentium hujus rominis octavum datæ litteræ , quibus significabatur captivum esse Brugis Romanum Regem. Pontifex re intellectâ nihil cunctatus , scripsit Colonienfium Archiepifcipo , ut Brugeses , Gandavos , cum Iprenfibus : nam & hi populi tam audacis facinoris autoribus junxerant sese , anathematis fulmine defigeret , nisi mandato obtemperantes , intra certum tempus custodiâ Imperatorem emitterent. Secundùm hæc venerunt Brugas undique primores oppidorum de pace acturi cum Rege , cui multa sunt aureorum promiffa millia à Flandris , si noxam condonaret. Priusquam exiret custodia Imperator , oblitteratâ superioris injuriæ memoriâ , cum Brugenfibus ac cæteris captivitatibus auctoribus stabilem & mansuram pacem sanxiffè traditur. Cæterùm præter obfides datos , etiam creati nobiles viri aliquot qui omnia quæ Flandricæ ditionis effent , jure armisqûe defenderent ac tuerentur , donec Philippus Romani Regis filius per ætatem admoveri gubernaculis possët. Rex ita dimiffus incolumis abiit Mechliniam ad patrem suum Fredericum , qui paucis ante diebus eò ex Germania venerat cum exercitu factam ulturus injuriam filio. Hic Maximilianus

milianus & gratias egisse patri, & supplex orasse dicitur, ut omnem vim bellicam à Brugensibus abstineret; sed irâ accensus Fredericus, rejectis filii precibus, hostiliter Flandriam vexare est adortus: Gandavenfes venientem velut hostem, non hospitem, suis mœnibus excluderunt. Videbatur venisse Fredericus, ut urbem caperet, sed ingenti ejus magnitudine territus, & telorum multitudine quæ è muris in appropinquantem conjecta est, vim inhibuit. Ita exclusus indeque repulsus Germanus, omnem circumjectam urbi regionem hostiliter incurfavit: tam subitò in agricolas nihil meritos versa est omnis illa in Gandavensium invidiam, armorum tempestas.

Bellum civile in Brabantia: Pestilentia ingens Bruxella & Lovanii.

R Euerfis postea in Alemaniam Frederico & Maximiliano, populus in diversas voluntates ire cœpit: nam erant, qui ductore Philippo Clivenfi, Brugis cum Maximiliano sancitam pacem tam diu ratam habere, sancteque custodire vellent, quoad sua sociorumque salus pateretur (contra nitebantur alii, qui se junxerant Alberto Saxonix Duci) hunc Fredericus & Maximilianus

lianus abituri Philippo Brabantiae Principi adhuc impuberi custodem, & nostratium constituerant Gubernatorem Provinciarum; Lovanium, Bruxella, Thenæ, atque alia quædam oppidula cum Philippo Clivenfi, Flandrorum defensore foedus percusserant: Buscoducenses medii, & neutrius partis esse maluerunt: Cæteræ majores urbes, Antverpia, Mechlinia, Lyra, secutæ Albertum leguntur. Hoc civili & intestino bello, non dicenda sunt utrinque data & accepta mala, Bruxellensis miles Vilvordiam adversæ factionis oppidulum cepit, captum, incendio delevit: Saxo Lovaniensibus ademit Arschothum, hîc privatis ædificiis, non ab hoste, sed alio casu injectus ignis, adedò pervagatus est longè lateque, ut & loci templum sit incendio consumptum; postea rursus erectum, aliquantò magnificentius: ab eodem Duce Alberto sunt & Thenæ occupatæ; huc multi mortales bova sua, ut in locum tutiorem initio belli convexerant, quæ omnia direpta penitus à militibus, & aliis facinorosis, qui rapiendi studio, ut sit, armatis se immiscuerant. Per hos motus pestilentiae morbus locis aliquot sic atrociter sæviit, ut rarò aliàs hominum memoriâ sit atrocius laboratum hoc malo. Bruxellæ triginta duo, apud Lovanium viginti hominum

minum millia extincta loquuntur natu
grandes viri, quorum memoria hoc gestum
est bellum. His igitur locis vehementius
favientem pestilentiam, conficiundæ pacis
causam fuisse existimo; Lovanienses enim
& Bruxellenses diurnis nocturnisque suo-
rum funeribus exhausti fractique, Legatos
ad Albertum miserunt: quibus Romani
Regis nomine pax data est his legibus: ut
ingentem pecuniæ summam Duci adnu-
merarent. Hæc sub festum Assumptæ Vir-
ginis mensè Augusto gesta sunt, anno post
Christum in terris natum millesimo, qua-
dringentesimo, octuagesimo nono cum an-
num unum & plus eo durasset hic motus
civilis.

*Conflagratio insignis Monasterii Præmon-
stratensis Middelburgi in Zelandia.*

1492 **C**irca annum millesimum quadringen-
tesimum, nonagesimum secundum,
Middelburgi in Zelandia conflagravit Præ-
monstratensis Ordinis Monasterium. Quo
incendio absumpta est etiam Bibliotheca Li-
bris omnifariam referta. Visitur hodiè do-
mus eadem multò magnificentius instaura-
ta; diceres Palatium aut Regiam esse quam-
piam. Illic nunc præest vir, ut clarissimis
opti-

optimisq̄ue majoribus, ita optimis moribus
ac multâ eruditione & facundiâ præditus
Maximilianus à Burgundia, quem juvenem
quidem, sed tot naturę dotibus eximium Ab-
batem gratulor Zelandiæ terræ mihi natali. ✓

P H I L I P P U S

Brabantia Principatui inauguratur.

Post aliquot annos, defuncto in
Germania Frederico, resivi no-
stratia loca Maximilianus, unâ
cum conjuge suâ, quam recens
duxerat filiam Ducis Mediolanensium.
Hunc cum multis aulicæ nobilitatis Pri-
matibus, Trajectum ad Mosam ingres-
sum Philippus & Margareta florentes æta-
tibus liberi salutatum venêre, & fœlicem
optimo patri adventum gratulati, abeun-
tem indè Lovanium comitantur. Hic præ-
sente patre, Philippus annum agens ætatis
decimum sextum, Brabantia Principatui
inauguratur. In cujus verba tanto consensu
ac studio ab universâ multitudine juratum,
ut nunquam aliàs majore: fuit hic annus
humanæ redemptionis millesimus, qua-
dringentesimus, nonagesimus quartus. An-
no postea quingentesimo, sub exitum Fe-
bruarii

1496

bruarii mensis, Gandavi oppido Flandriæ, natus est Duci filius: cui ad sanctum Joannem baptismo in eadem urbe admoto, Caroli nomen est inditum à susceptoribus. Vidi ego puer, hoc nato puero Gandavi (in qua tum urbe Latinas discebam litteras apud virum doctissimum) ad omnes civitatis angulos, ad omnia compita parari spectaculorum miracula.

Harderwici conflagratio miserabilis, & terramotus in Brabantia.

1503
IN annum Servatoris nostri Millesimum, quingentesimum tertium, incidit miserabilis conflagratio oppido Gelriæ quod Harderwicum nominatur, pridie Kalendas Augusti, spatio trium horarum templa, Cœnobia, & privata, publicaque ædificia, multis arduisque tabulatis edita omnia conflagrarunt. Hic res accidit miseratione digna, multi homines ruinâ tectorum oppressi, in penariis multi fumo enecti, ad quæ loca ut tutiora metu ignis se receperant; hic postridiè pueri bimi, trimi, infantes quoque cum matribus reperti exanimis, tam latè hoc est evagatum incendium, ut toto oppido vix quinque aut sex privatæ domus reliquæ manserint: eodem ferè tempore Gorici

rici oppidulo Hollandiæ subitò igni ducen-
tæ & pago quodam Westflandriæ, domus
quadringentæ arserunt. Anno insequentî
post conflagrationem Harderwiciam, Da-
ventriæ mulier quædam enixa est filias
duas ventre uno, & corporis medio à pecto-
re conjunctas, cæterùm capitibus duobus,
brachiis quatuor, ac pedibus totidem. Eo-
dem anno in Brabantia & locis finitimis
vesperi sub horam decimam, pridie Bar-
tholomæi accidit motus terræ, qui tamen
populis nostratibus nullam cladem attulit,
nemo extra domos vitæ periculum adiit,
nusquam radicitus evulsæ arbores, nus-
quam corruerunt ædificia; nemo oblæsus,
nemo oppressus tectorum ruinis.

Philippus in Hispaniam proficiscitur:

Ejusdem mors.

Philippus nostrâ memoriâ bis adiit His-
paniam, semel itinere terrestri per Gal-
lias. Jam primum hujus ditionis limen in-
gresso, Ludovicus Picardiæ Præfectus, vir
clarissimus una cum Proceribus ejus Regio-
nis obviam procedens, regiis verbis salutem
impertivit, & felicem adventum gratula-
tus est hospiti optatissimo. Parisii non ut
hospes, verùm ut Numen quoddam Cœlo
dimis-

sum excipitur. Nullum unquam suorum Regum regaliùs accepit Gallia, quàm Philippum hospitem: Magnificentissimi sunt in urbe exhibiti ludi, occurrit venienti Senatus, occurrit scholæ Princeps & Rector, occurrit totus Ecclesiasticus Ordo: & ut omnia essent ubique in Philippi adventu gaudiorum plena, impunitas concessa est maleficis, in ejus gratiam aperti carceres, totâ Galliâ venia donata fontibus. Cumque Rex mandasset, ut Philippum nihilo seciùs quàm semet exciperent, plusquam jussi fuerant, facientes studio hunc illi prætulerunt; ipse Rex eundem summa cum veneratione excepit in regia sua Blesensi. Illud memorabile, quod Turonis abeuntem ad quingentos ferè passus deduxisse, & sumptus omnes, quos numerosus ille Ducis comitatus fecerat, in se recepisse traditur. Apud Navarros quoque regali munificentia est exceptus Philippus, Galliâ sic peragrata, Hispaniam ingreditur. Quis hic triumphos recenseat Principi singulis regionibus, singulis urbibus, singulis vicis exhibitos, Rex Ferdinandus, vivida adhuc viridiq̃ senecta focer, genero ætate florenti inter Oleas viculum & Toletum urbem occurrit, salutatumque in Regiam suam Toletanam induxit. Post dies

dies indè quindecim Castellæ Principatui inauguratur , nec multò post Arragoniæ Principatum accipit in urbe Cæsaraugusta ad sextum Kalendas Novembres. His peractis , uxor Joanna filium ei peperit , cui nomen indidere susceptores avi materni. Obita igitur ad hunc modum Hispaniâ , peragrato iterùm pari cum splendore Galliarum regno , Philippus in Sabaudiam venit , ubi à sorore sui amantissima Margareta , incredibili est magnificentia tractatus. Postremò in Germaniam proficiscitur , ut quod sorori præstiterat , idem præstaret & parenti , sororem salutaverat , nunc & Parentem salutaturus venit. Qui non dubium est , quin lætitiâ animo perfenserit longè maximam , cum Philippum unicè charum filium , tantis rerum suscessibus auctum , ex Hispaniis reducem conspiceret , Patre salutato , in patriam rediit ; ubi ad singularum urbium ingressum instaurati triumphi , quanquam vetuerat ipse , & ne officio civitates gravarentur , nonnunquam data opera , subitus & inexpectatus advenire voluit. Vidi ego tum puer Lovanium ingredientem , urbis Senatu , ornatissimi Gymnasii Principe & Rectore , toto eidem Ordine Ecclesiastico obviam procedente , Doctissimus extat Panegyricus

Erasmi

Erasmi mei de hac Philippi in Hispaniam profectio. Altera illa profectio est mari suscepta ineunte Januario ; vix medium jam classè tenebat , cùm subito coorta est tempestas multò sævissima , invenio naves aliquot subverfas pelagi sævitia ; Philippo interim , & cæteris , quos eadem navis habebat , in singulas horas mortem expectantibus , tandem munere divino , cum reliqua classe in Angliam Princeps ejectus , præter spem à rege magnifico apparatu , alacritate incredibili , magno ejus Insulæ hominum concursu & applausu excipitur. Hic commoratus aliquot dies , postea secundo vento in Hispaniam contendit , ubi rursus nullâ oratione explicandis honoribus cohonestatus , moritur sexto Kalendas Octobris , anno ætatis vigesimo octavo. Incidit obitus tanti Principis in annum Natalis Dominici , millesimum , quingentesimum sextum. Postquam hujus viri mortem fama vulgavit , incredibilis repente Brabantiam , cæterasque regiones focias luctus occupavit. Neque ulli sanè Burgundicæ ditionis mortales fuerunt , qui non ejuscemodi nuncium multis lachrymis exceperint ; Erat enim omnium bono natus Princeps. Omnibus prospicere , omnibus consulere huic unum erat studium , Patriæ commodum,

dum, suum ducebat esse lucrum, libertate Civium delectabatur, nihil æquè studebat, quàm pacem publicam reddere perpetuam, & rectè; nam ex bello simul omnia reipub. mala proficiscuntur. Mortem Philippi stella crinita præcessit, quæ mense Augusto per dies fermè octodecim visa est. Ego fabulosum esse existimo, quod quidam scripsit per idem tempus accidisse apud Hollandos in puero, qui materno adhuc conclusus utero, dies plus duodecim fleverit. Quo prodigio demonstrata sint mala, quibus Hollandiam postea Gelrus afflixit.

Philippi expeditio in Gelros.

Idem Princeps antequam iterùm in Hispaniam abiret, consilium secutus Procerum suorum statuit armis repetere Gelriam, haud ignarus per eam accessionem hostium vires ubique suis impares fore. Cum florentissima igitur equitum, peditumque manu profectus Arnemum Gelriæ oppidum subitâ vi adoritur, cujus incolæ ad postremum metu subacti, portas Burgundo patefecerunt. Qui ingressus præstitit fidem deditis, neminem violans, nihil cuiquam adimens, neminem suis fortunis despolians; quæ res effecit ut continuò alia plera-

pleraque oppida ad Philippum defecerint: videbatur paucis diebus universam Gelriam subacturus, nisi in Hispaniam redire cupiens, pacem cum Gelro fecisset. Ea traditur his propè conditionibus data, ut quæ in deditionem Philippus accepisset, ipse sibi haberet, & Carolus Gelriæ Princeps unà cum Burgundo in Hispaniam proficisceretur. Verùm hoc ad iter jam accincto, Gelrus mente mutatâ, excusavit nescio quas occupationes; undè factum, ut quæ pollicitus fuerat, non præstiterit. Sub hoc tempus fato cecidit eximius Antistes Leodiorum Joannes Hornius, cui Galliarum Regis operâ ac studio successit Erardus à Marca, nunc Cardinalis, & Carolo Cæsari à Consiliis, vir & consilio & facundiâ maximus.

*Gelri Campaniam nostratam vastant, The-
nas capiunt, iisdem caduntur apud
Arduennam.*

DEfuncto jam, ut dixi, in Hispania Philippo, Carolus Gelriæ Princeps non servatâ, quam priùs cum Burgundo fecerat pace, nostratis Campaniæ fines cum prædabundo exercitu ingressus, Turnhoutum pervenit ejusdem Campaniæ insignem pagum.

pagum. Hic offensus miles virorum fugâ, correptas foeminas in prædam abducit. Anno proximè insequenti, hic septimus erat salutis humanæ suprâ millesimum, quingentesimum, Septembri mense, idem Carolus & Robertus à Marca, nunc Leodiorum Episcopi frater in Brabantiam venêre Distensium urbem oppressuri, à cujus mœnibus Nassavii Principis & civium virtute repulsi, aliò signa contulerunt: Hala oppidulo incenso, Thenæ obsessæ sunt & captæ, Festo die Michaëlis, quam urbem hostis ingressus, ita diripuit, ut nec templis quidem, nec sacris locis temperatum sit: multi præterea omnis sexus & ætatis, sine discrimine, partim contrucidati, partim Ruremondam Gelriæ oppidum abducti sunt in omne genus malorum. Quod mirum videri potest, ita in totam illam regionem grassanti per dies complures, hosti nullæ sunt objectæ ex Brabantia copiæ; Lovanium, quod tribus inde milliariis distat, præsidio firmatum fuit, quam urbem nullâ extrariâ ope adjutam, antea facilè cepisset Gelrus, si tentasset. Sub finem Octobris urbem Thenensium captam, hostis reliquit, sexcenti Equites Gallici nominis, aut plus eò in sylva Arduenna, instante nocte confederunt, quos itinere fessos, prædâ

onuſtos, & ſummo vinoque ſepultos, viri Namurcenſes aliquot, prius neci datis vigilibus, adorti partim trucidarunt, partim in fugam verterunt, quingenti equi in prædam abducti Namurcum, publicè ſunt divenditi.

Legati ad Maximilianum miſſi: Oppidum Venlo Margareta juffu obſeſſum.

GElro nunc in Hollandos, nunc Brabantos graſſante, miſſos in Germaniam ſuperiorem Legatos invenio, qui Romano Cæſari Maximiliano, Brabantia & aliarum Regionum finitimarum adminiſtrationem deferrent. Erat enim Carolus Philippi filius puer adhuc annum agens ætatis fortasſe octavum. Cæſar igitur cùm ſtatim accurrere propter Imperii varia & & ardua negotia non poſſet, filiam Margaretam præfecit; donec ipſe in hæc loca reverſus Principatum ſuſciperet. Verùm ante adventum Principis ex Germania, bello repetiti ſunt Gelri, cùm ejus terræ Dux, Antverpienſium negotiatores Francfordiam ad mercatum euntes apprehendiſſet, juffu Margareta Principis conſcriptus atque educus exercitus, oppidum Venlo in Gelriis obſidione cinxit. Verùm ſtrenuè agens,
quæ

quæ intus erat, multitudo, irritos reddidit omnes nostrorum conatus. Tenuerat aliquot hebdomadas obsidio, cum noster exercitus haud sine magna inertia ac desidia nota retrò abiit. Gelrus ubi finibus suis excessisse hostem videret, ovanti similis cum paratissimis copiis Mosam transgressus, Buscoducensium Cives, qui & ipsi cum armata manu exierant, captivos abduxit, magnâ etiam pecuniâ mulctavit. Postea in Hollandos vertens omnem belli impetum, gravissimis eam gentem incursionibus infestavit.

Maximiliani ex Germania reditus.

CUM talis esset nostratium rerum status, rediit ex Germania Cæsar Maximilianus, qui Lovanii Brabantia gubernatione susceptâ, Bruxellam convocat urbium Primores. Hic prætextu Gelrici belli rursus ingenti pecuniâ plebs mulctatur. Buscoducenses à Gelro hostiliter antea vexatos, maximisque affectos incommodis, litteris tantum sterilibus consolatus, opemque pollicitus, Cæsar Coloniam ad conventum Germaniæ Procerum recurrit. Absente Cæsare, latrocinantium magis quàm belligerantium more in Buscoducensem agrum reversi Gelrii, ad ipsas usque portas urbis

omnia foedè vastarunt, incensis etiam ligneis illis, & versatilibus ædificiis, quæ vulgus molendinas appellat.

Anglorum Rex Caletum venit cum exercitibus Morinum occupavit & Tornacum.

1513 **A**Nno à Virginis partu, millesimo quingentesimo decimo tertio, Henricus Octavus Angliæ Rex cum validâ bellatorum manu Caletum in Flandriæ fines trajecit, bello adorturus Galliæ populos. Huc argento & auro, quod ingens secum advexerat, non modo Cæsarem Maximilianum, sed omnem quoque Brabantia, Flandriæ & Hollandiæ nobilitatem ad se juvandum pertraxit. Lectissimum equitatum ac pedites complures è Gallia missos, qui Morinum, quod obsessurus hostis putabatur, com meatu levarent, Maximilianus partim occidit, partim in fugam compulit, ex quibus trecenti capti, inter quos & nobiles aliquot regni Gallorum fuerunt, signa bellica novem amissa, currus onerarii centum quinquaginta abducti. Post hæc Romanus & Anglus magnanimi Principes duo, Morinum, quod prælidio firmaverat Galliæ Rex Ludovicus, omni armorum genere oppugnare adorti, murorum partem dejecere;

cère ; atque hinc cùm ingens terror civitatem invasisset , facta deditio est hac lege , ut miles vi abstineret : ingressus Cæsar , Anglocessit urbis Imperium. Postea deditum est & Tornacum. Hujus oppidi Cives permulti , ne militarem diutiùs feritatem pati cogerentur , novas sedes in Flandria & Brabantia quæsivere. Henricus & hujus urbis à Cæsare Imperio sibi relicto , incredibili sumptu arcem intra muros extruxit , multis inclusis ædificiis. Hic præsidium habuit perpetuum , donec post aliquot annos Gallo urbs reddita est. Quæ nunc paret Carolo Cæsari , adempta iterùm Gallo per nostrates exercitus.

Scoti in Anglia caduntur.

Quo tempore Morinum & Tornacum urbes in hostium potestatem venire , Scotorum Rex Jacobus , infestis copiis Angliæ fines invasit , futurum sperans , ut Rege absente , totam Insulam paucis diebus subigeret. Ubi verò id nuntiatum Reginae est , mulier animumque gerens , curamque virilem mira celeritate contracto exercitu , infestis hastis , clypeis , armis cum hoste concurrat , fuitque hac pugna superior ipsa , Scotii fusi fugatique sunt : multis ex his caesi.

cæsi. Periit hoc in prælio Rex ipse Jacobus adhuc ætate florens, & cum eo nobiles plurimi. Tradunt quidam venisse in Angliæ fines Scotum, ut in nostris locis adversus Gallos belligerantem Henricum averteret, adque regni sui defensionem revocaret, hoc pacto Gallorum regi Ludouico gratificaturus.

Caroli educatio.

Quia nullum tam foeliciter natum est ingenium, quod perversa non corrumpat educatio, & nihil referat filium genuisse Imperio, nisi eundem cures educandum imperio, ut piis & integris nutricibus committeretur, Gandavi natus filiulus, pater Philippus curaverat. Quo in Hispaniis mortuo, Cæsar avus magnâ curâ dispicere cœpit, quibus viris primam nepotis mellitissimi ætatem, Principe dignis moribus & litteris instituendam traderet. Ex universa patria delecti sunt Guilielmus Ceverius Princeps, & Adrianus Florentius, qui tunc erat Lovaniensis scholæ Cancellarius, ambo viri & sapientes & incorrupti, quos in rectè instituendo adolescente, frequenter fidelem audivi ac strenuam navasse operam, nec privatam emolumentum, sed patriæ spectasse utilitatem.

C A R O L U S

Brabantia principatum suscipit.



Ic educatus, sic institutus noster Carolus, anno ætatis decimo quinto, Lovanii quemadmodum pater, avus, & proavus fecerant, Brabantia Principatum suscepit, non unius tantum urbis, sed & omnium nostratium Provinciarum gaudio incredibili. Carolo enim conspecto, & in administrationem imperii, jam solemniter inaugurato, non Trajanum dico vel Antonium pium, vel Epaminundam, quos ita fuisse bonos existimo, ut tamen vitiis magnis non caruerint. Sed qualem Deus ipse in libro Deuteronomii describit, hoc est, optimum & sanctissimum Principem sibi omnes homines pollicebantur, sub quo quasi fatali fidere afflatis, ad meliorem se frugem converterent. Creditum est enim nullum Cometam, fatalem vim nullam sic res mortalium afficere, ut vita Principis rapi ac transformari mores & animos Civium. Incidit hæc inauguratio in eum humanæ salutis annum,

qui fuit decimus quintus suprâ millesimum quingentesimum.

*Carolo Middelburgi apud Zelandos agente,
Gelrii Hollandia oppida quadam capta
diripuerunt.*

Biennio post, durante adhuc bello Gelrico, Fœlix Comes incensis Gelriorum navibus, arcem quandam munitissimam vi coepit, undè nostratibus hostis multùm antea incommodaverat. Sub idem tempus, Carolo Principe agente Middelburgi in Zelandia, ut indè secundo vento in Hispaniam trajiceret, Gelrii cum equitatu validissimo, pedestribus etiam copiis Hollandiam ingressi, oppidum Medenblicum vi captum, diripuerunt hostiliter. Processum est inde Alcmariam: quâ urbe occupatâ, immensum argenti pondus & auri, vestes preciosas, aliaque permulta secum avexerunt. Hinc Sparendamum, hinc & alia quædam loca sunt incendio absumpta. Postremò ad oppidum Asperam ductus exercitus, moenia ter conscendit, toties repulsus à Civibus: mille jam & quingenti in Gelriorum copiis desiderabantur; cùm occupata & vi capta urbecula viros cum uxoribus, & liberis, alios ferro super alios confecit hostica rabies.

Sunt

Sunt & templa Divorum ad quæ plerique confugerant humano foedata sanguine, pueruli in scholis reperti suis, crudeliter necati; quibus editis in oppidanos crudelitatis generibus, infeliciter natas virgines mulieresque, etiam in propatulo constupraverunt. Hic te rogo Carole Egmondane, cujus hæc jussu & mandato fecisse militem constat, num te postea flagitiorum pœnituerit, si magnanimus haberi volebas, non ita sævire debuisti in victos, aliena est ab officio magnanimi crudelitas. Omnino fortis animus & magnus, parcere multitudini innoxia, in omni fortuna, recta atque honesta retinere solet.

Caroli in Hispaniam profectio.

CArolus cum egisset fermè tres menses in Walachria Zelandiæ Insula, tandem, flantibus ventis, navem ascendit, ac mare ingressus, horrendum vidit spectaculum, ante suos oculos pereuntem navim unam incendio; in qua combusti & homines & equi complures singulari forma ac magnitudine. Post diès inde octenos gaudio ineffabili conspectus Hispanis, & singulis pænè oppidis summa cum veneratione faustis acclamationibus exceptus, totque

pulcherrimis ac florentissimis regnis est inauguratus, populis quoque se contulisset, studium in eum propensum, atque egregiam voluntatem pollicentibus.

Cæsaris Maximiliani obitus, & quadam alia de eodem memoratu digna.

ANno salutis nostræ, millesimo, quingentesimo, decimo nono mense Januario, Cæsar Maximilianus fatalem diem obiit in Germania superiore, cum esset ingressus annum ætatis sexagesimum tertium. Quod ut palam factum est hac nostra inferiore Germania, luctus ingens atque mœstitia per omnes fuit civitates. Quibus ob clementiam, placabilitatem, voluptatum omnium abstinentiam, virtutesque alias fuerat longè charissimus hic Princeps. Cujus ut vitæ velut summam partem proponam, continuos novem annos in castris agens, difficillima quinque bella profligavit, Gallicum, Eburonicum, Sicambriticum, Batavicum, Morinicum. Hinc nobilissimæ gentes, hinc scientissimi bellicæ rei populi, hinc urbes opulentissimæ ad deditiōem & pœnitentiā ab eo compulsæ sunt. Quale nihil focer Carolus, nihil profocer Philippus excellentissimi Duces unquam

quam consequi potuerunt. Quot hyemes cum cætero milite sub pellibus egit? Quot sudavit æstates? Quis unquam eo solertiùs castris locum cepit? commeatus expedit? hostem ludificatus est? Nullum huic Castrense munus sorduit. Quoties præ signis ipse stetit? Quoties egit sorte excubias? Quoties vallum tulit? Quoties speculatum egressus est? Neque verò postremum inter hujus laudes viri ponendum, quòd litteras & ingenia tam impensè dilexerit, quodque bonas artes non foverit modo, sed aluerit, atque promoverit, Juventutem nemo religiosiùs, nemo innocentiùs, nemo unquam sanctiùs exegit, nemo fuit unquam patri obsequentior filius. Auxit hujus mortui desiderium Principis, atrocitas insequentium temporum.

Carolus Romanorum Rex eligitur. Ejusdem in Germaniam profectio. Hæresis Lutherana damnatio.

IN Maximiliani locum Carolus hujus nepos, Principum suffragio Imperium adipiscitur. Agebat is tum in Hispaniis, undè per Legationem evocatus, anno redempti orbis millesimo quingentesimo vigesimo in Flandriam applicuit sub Kalendas

Apriles Partim hic, partim Bruxellæ, & Mechliniæ exacta æstate, cum omni fortunæ suæ strepitu, mense Octobri Lovanium venit. Qua in urbe dies circiter viginti comoratus, Aquisgranum proficiscitur; ubi exquisitissimis honoribus acceptus, & Imperii donatus insignibus, Coloniam, inde Wormatiam Vangionum se contulit. Nihil unquam Principum studio majori, & civitatum luxu cultus est, nulli plura exhibita sunt spectacula. Wormatiæ celebri conventu Germaniæ Principum, qui ad ejus edictum huc convenerant, damnata est Lutherana hæresis. Testaturque id ejusdem Principis edictum Imperiale. Quod impressum ante hac, piorum aliquot rogatu viro- rum hisce chronicis nostris inseruimus, eâdem quâ principio editum & evulgatum est, observatâ verborum formâ.

Carolus Quintus, divinâ favente clemenciâ, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ. Comes Habsburgi, Flandriæ, & Tirolis, &c. Universis & singulis Sacri Romani Imperii
Electo-

Electoꝛibus, aliisq̄ue Principibus, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus; Archiepiscopis, Episcopis, Prælatiſ, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, Præfectis, Præſidibus, Judicibus, Sculteis, Burgimagiſtris, Conſulibus, Scabinis civitatum, oppidorum, villarum, terrarum, & quorumvis aliorum locorum Communitatibus. Nec non Univerſitatum, Studiorum ſive Gymnaſiorum Reſtoribus, & locum tenentibus, ſeu officialibus eorundem, ac cæteris quibuſcumque Nobis tam jure ſacri Imperii, quàm hæreditario, aut alio quocunque modo ſubjectis & fidelibus dilectis, cujuſcumque ſtatus, gradus, aut conditionis ſint, & ad quos præſentes vel earundem exemplum, noſtro, vel alicujus Prælati Eccleſiaſtici ſigillo, ſive etiam publici Notarii manuſ ſubſcriptione communitum pervenerit, Gratiam Cæſaream, & omne bonum.

Ad veri Romanorum Imperatoris officium pertinet, non ſolùm fines hujus ſacri Imperii, quòd præceſſores noſtri Germaniæ Principes, ob deſenſionem Sanctæ Romanæ, & univerſalis Eccleſiæ, ſuo ſuorumque sæpiùs effuſo ſanguine per divinam gratiam ſibi quæſierunt, ad Orthodoxam
viam

viam abductis vel expulsis infidelibus propagare. Verum etiam ne qua hæreseos labes, aut suspicio in jam sibi subditis nationibus Sacrosanctam Religionem nostram commaculet, summo studio providere. Aut si qua jam oriri cœperit, eam omni ope, omniq̃ue cura, juxta normam à Sancta Romana Ecclesia hæctenus observatam delere penitus, & extinguere. Quod si quis alius è majoribus nostris, tantò nos magis præstare debemus, quantò Dei Opt. Max. immensa benignitas, Nobis plura Regna & dominia, pluresq̃ue & magis bellicosos populos, majoresq̃ue vires, quàm jam multis sæculis alicui Principi, qui hisce titulis sit potitus, ad suæ sanctæ fidei tutelam, & incrementum elargiri dignata est. Accedit quòd cùm ex paterno genere è Christianissimis Imperatoribus, & Archiducibus Austriæ, Ducibusq̃ue Burgundiæ: ex materno verò, Catholicis Hispaniarum, Siciliæ, & Hierusalem Regibus simus orti, quorum omnium pro fide Christiana res præclarè gestas, nulla unquam delebit oblivio, non sine gravi conscientiæ nostræ onere, & perpetua nominis nota, quadamq̃ue veluti nebula felicibus ineuntis Principatus nostri auspiciis offusa factum crederetur, si quæ jam ab hinc triennium pullulare in Germania cœperunt,

perunt, novas quasdam hærefes, imò verius jam sæpè olim per Concilia, & Summorum Pontificum Decreta approbante Ecclesiâ damnatas, & nunc denuo veluti ab inferis erutas, altiores jacere radices ulla nostra negligentia passi esse videamur.

Sanè vestrùm neminem ignorare existimamus, quibus erroribus & hærefibus ab Orthodoxa fide longè alienis, quidam frater Martinus Lutherus, Ordinis sancti Augustini, Religionem Christianam in hac præsertim inclyta Germanica natione omnis infidelitatis, & hærefum perpetua oppugnatrice, ita inficere conetur, ut nisi maturè occurratur, tota hæc natio, & deinde serpente contagione universa Christiana respublica in abominandum schisma & bonorum morum, pacisq̃ue, ac tandem detestandam sui perniciem prolapsura videatur.

Quapropter non immeritò commotus sanctissimus in Christo Pater Dominus Leo X. Sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ Summus Pontifex, ad quem fidem Catholicam, & Ecclesiæ Sacramenta curare spectat, prædictum Martinum à principio clementer paternè monuit, & hortatus est, ut à nefandis hujusmodi inceptis desisteret, & jam sparsos errores revocaret.

Quod

Quod cùm ille neglexisset, & pejora semper prioribus adderet; idem beatissimus Pater ad oportuna, neque tamen infueta remedia procedere statuit. Itaque convocatis sæpiùs Reverendissimis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Episcopis, ac aliis Prælatibus, nec non Regularium Ordinum Prioribus, seu Ministris generalibus, accersitisque pluribus scientiâ & probitate præstantibus viris, & in omni doctrinarum & linguarum genere eruditis, ac diversarum nationum Doctoribus & Magistris, prædicto tamen Martino prius vocato, ac citato, & in contumacia persistente, ipsius scripta tam Germanico, quàm Latino sermone edita & edenda, ut perniciosâ, & fidei unitatiq̃ Ecclesiæ contraria, autoritate suâ Apostolicâ, præfatorumque ad hoc accedente Cardinalium consilio & assensu, ac Episcoporum, & Prælatorum, Doctorumque & Magistrorum maturâ deliberatione damnavit, & ubique locorum comburenda prorsusque abolenda censuit, & decrevit. Martinum verò ipsum nisi infra certum expressum terminum à publicatione decreti Sanctitatis suæ mutatâ sententiâ se errores suos revocasse, & ad pœnitentiâ rediisse docuisset, ut inobedienciæ & iniquitatis filium, ut schismaticum, & hæreticum ab omnibus

bus evitandum, & prout jura postulant, puniendum declaravit, sub pœnis & censuris, quæ in Apostolicis litteris, Bullâ plumbeâ communitis, & super hac re editis latiùs continentur. Quas ad nos, utpote Christianæ Fidei verum & supremum propugnatorem, & Sedis Apostolicæ, sanctæque Romanæ & universalis Ecclesiæ primarium filium, & Advocatum per suum & dictæ Sedis specialem Nuncium, & Oratorem honorabilem virum nobis dilectum Hieronymum Alexandrum ejusdem Sedis Prothonotarium, & Apostolicæ Bibliothecæ præfectum, deditâ ad hoc operâ misit, petens atque requirens, ut pro officio ac debito Imperialis dignitatis in universo primum Romanorum Imperio, deinde (quo Catholicum Regem & Christianum Principem decet) in cæteris etiam Regnis, Dominiis, & Provinciis nostris, & præsertim in Germania, præstito in auxilium fidei Catholicæ brachio sæculari omnia & singula in jam dictis litteris Apostolicis contenta inviolabiliter observari, & executioni mandari juberemus: Post quas quidem prædicto Martino factas à summo Pontifice monitionem, vocationem, citationem, & ipsius tandem condemnationem, nec non præsentatas nobis ejusdem beatissi-

beatissimi patris litteras, Bullamque Apostolicam per varia & diversa Germaniæ loca publicatam, & nostro jussu & mandato non solum Lovanii in inferioribus dominiis nostris, verum & Colonia, Treviris, Moguntia, Leodii executioni demandatam, tantum abfuit, ut idem Martinus resipisceret, errataque sua revocaret, & petitam absolutio- nis veniam, in gratiam cum summo Pontifice, & sancta Ecclesia redire procuraret, ut etiam detestabiliores perversi ingenii sui fructus in dies ederet, & perinde ac in manifestam Ecclesiæ perniciem furens rueret, complures acervatim libros non modo novarum, sed etiam à sacris Conciliis olim condemnatarum hæresium plenos: nec solum Latino, verum etiam, ut facilius vulgus perverteret, Germanico sermone à se compositos, vel saltem suo nomine editos, ferè quotidie divulgaret. In quibus observatum ab Ecclesia jam tot sæculis septem Sacramentorum numerum, Ordinem, usum dissipat, confundit, deturpat, inviolatas Matrimonii leges miris modis fœdissime inficit, Extremam - Uctionem cum Wiglesso fictionem dicit, communicandæ sacratissimæ Eucharistiæ ritum ad damnata Boemorum revocat instituta; at saluberrimam contaminatis peccato mentibus Con-
fessio-

feffionem, primùm ita involuit, ut confu-
fionem eam è Confessione fecerit, mox
etiam magnâ in parte convellit, postremò
adhuc pejora se de ea scripturum minatur.
Undè nonnulli jam, sumptâ hinc occasione
de Confessionis instituto & modo cœperint
subdubitare, alii mutilatam & truncam fe-
cerint, alii verò (proh scelus!) & confiteri
ipsi destiterint, & nequaquam esse confi-
tendum publicè asserere sunt ausi. Porrò
Sacerdotalem Ordinem, & per quod sacro-
sanctum Christi corpus sanguisque confi-
citur, divinum illud munus, claviumque
cœlestium potestatem non solùm vilissimi
pendit Lutherus, & Laïcis, puerisque at-
que aded fœminis ipsis communia facit, sed
& eosdem Laïcos ad lavandas sibi in Sacer-
dotum sanguine manus incitat: ipsum ve-
rò Summum nostræ Religionis Sacerdo-
tem, Divi Petri Successorem, & verum in
terris Christi Vicarium, non nisi infamibus
& probrosis nominat verbis, & frequentis-
simis atque inauditis invectivis, contume-
liis & blasphemis insectatur: liberum arbi-
trium prorsus nullam esse, sed omnia certâ
legè stare ex Manichæi quidem & Wiglessi
penu depromit, & tanquam irrefragabili
argumento, Ethnicorum Poëtarum car-
minibus confirmat: Missæ venerabile Sa-
cramen-

cramentum neque defunctis neque vivis aliis, quàm soli celebranti suffragari scribit: Jejuniorum, & Orationum institutionem & consuetudinem ab Ecclesia observatam invertit & corrumpit. de Purgatorio, & animarum, quæ in eo expiantur, statu, de quæ Divini Sacrificii & veniarum suffragiis, quæ à nobis fideles defuncti expectant, cum Waldensibus & Wigleffitis contra Ecclesiam sentit: de Ecclesia verò ipsa militante cum Pelagianis & Hussitis: at sanctorum Patrum authoritates & scripta ab Ecclesia recepta, pro nihilo habet, est ubi etiam sæpè deridet, debitumque illis cultum, & devotionem deterit & diminuit: Obedientiam & regimen omne prorsus tollit, undè populi ad defectionem & rebellionem à suis tam spiritualibus, quàm temporalibus Dominis faciendam, ad rapinas, cædes, incendia, cum magno & manifesto Christianæ reipublicæ discrimine provocentur. Quinimò cum vitam quandam solutam, licentiosam, atque ab omni lege explicitam, & verè ferinam inducere conetur, ita exlex homo leges ipsas omnes damnat & contemnit, ut Decreta sanctorum Patrum, & sacros Canones publico igni comburere non formidaverit, facturus pejora Civili juri, si non magis sæculi gladium, quàm Pontificis

cis excommunicationes & Censuras metuisset. Jam verò sacrosanctis Conciliis palam contradicere, & pro suo arbitratu detrahere non erubescit; è quibus potissimum Constantiense illud, quod cum perpetua inclytæ Germanicæ nationis gloria pacem & tranquillitatem dissidenti Ecclesiæ dedit, ita ubique mordet, & impuro, sceleratoque ore lacerat, ut in magnum universalis Ecclesiæ dedecus, & offendiculum, sed Germanicæ præsertim nationis opprobrium & ignominiam, Concilium ipsum nunc pessimè omnium errasse scribat, nunc Synagogam Sathanæ, qui que in eo convenerant, & Joannem Hussitam hæresiarcham comburi iusserant, Sigismundum utique felicis recordationis Imperatorem, & sacri Imperii Principes, Anti-christum, & suos Apostolos, homicidasque & Pharisæos vocet. Quidquid damnata in eodem Concilio omnia Joannis Hussitæ errata, Evangelica & Christiana esse, & se recipere probaturumque profitetur; approbatos verò ejusdem Hussitæ articulos nequaquam admittit, in tantamque prorupit mentis vesaniam, ut si semel Joannes Hussita fuerit hæreticus, se plus decies hæreticum Martinus gloriatur, homo usque adè novarum rerum, ac potius perditionis humanæ cupidus, ut nihil
ferè

ferè scripserit, vel saltem suo nomine divulgavit, cui non aliqua pestis, aliquis lætalis insit aculeus, præter illos libros, ne nominandos quidem, ob execrandam eorum materiam ipsius tamen titulo editos, & ab eo cum reliquis ut suos agnitos, quorum singula verba, singula venena meritò quis dicat. Et ne omnia, quæ innumerabilia sunt, Lutheri errata singulatim percenseantur, tanquam si hic unus non homo, sed diabolus ipse, sub hominis specie ad perniciem humani generis adsumptâ Monachi cucullâ, quàm plurimorum hæreticorum damnatissimas hæreses, jam diu sepultas in unam sentinam congesserit, & aliquas etiam novissimè de suo excogitaverit, sub simulata prædicatione fidei, quam ad prætexendos suos dolos, tam sæpè, tantoque opere objicit, Fidem veram prorsus destruit: sub libertatis, quam promittit specie, diaboli jugum & servitutem inducit, & sub Evangelicæ professionis nomine, omnem Evangelicam pacem & charitatem, omnemque rerum ordinem & pulcherrimam denique totius Ecclesiæ faciem invertere, labefactare, & penitus pessumdare molitur, quibus omnibus per Nos, & consilia nostra nationum omnium nobis subditarum sæpiùs, & diligenter attentis & consideratis, & præfertim

fertim in hac parte ab eodem Beatissimo patre requisiti, absque insigni macula nostra, neque Orthodoxæ Religionis injuriâ & detrimento, rem tanti ponderis negligere nequaquam potuimus, ut etiam non debuimus, neque voluimus. Sed potiùs prædecessorum nostrorum Rom. Imperatorum vestigiis insistentes, eorumque pro libertate Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ perpetuò laudabilia facta, ac pias & sanctas super puniendis & exterminandis hæreticis constitutiones observantes, convocantis sæpiùs ad præsentiam nostram propter hoc præcipuè Electoribus, nec non universis Sacri Romani Imperii Ordinibus, & Statibus in hoc Wormaciensi conventu congregatis, de eorum omnium & singulorum unanimi consilio, maturâ deliberatione & consensu, in hanc tandem devenimus sententiam & conclusionem: Ut quamvis hominem ita à summo Pontifice, & Sede Apostolicâ condemnatum, & in sua obstinata perversitate obduratum, atque ab usu Catholicæ Ecclesiæ alienum, & notorium hæreticum audire, omni jure exceptum esset, tamen ad tollendam omnem cavillandi ansam, idque quia nonnulli plerisque libros Martino adscriptos ipsius esse apertissime inficiebantur. Complures audiendum
priù

priùs à nobis hominẽ, quàm in eum ad executionem Pontificii decreti ulteriùs procederemus, asseverabunt, Martinum sæpè dictum, misso ad ipsum deditâ operâ uno è Caduceatoribus seu præconibus & Heraldis nostris, sub libero huc veniendi, & hinc recedendi salvo conductu accersiri jubemus. Quod & factum fuit, non ut nos de hoc negotio judicaremus aut cognosceremus, cum id dubio procul ad Romanum Pontificem & Sedem Apostolicam pertineat. Neque ut res sacrosanctæ Fidei nostræ nunc tandem post tot sæcula per novas alterationes cum magno fidelium scandalo, & perturbatione, ac infidelium derisione in controversiam revocari pateremur. Sed ut cum vulgi & plurimorum ita petentium satisfactione, hominis animum percontantes eum bonis monitionibus, & suasionibus ad rectam semitam (si fieri posset) reduceremus. Itaque Lutherum in nostra & sacri Imperii Electorum, Principum, Prælatorum, Statuum præsentia constitutum juxta formam Imperialis mandati super hac re nuper interrogari jussimus. Primum nunquid ipse multos libros sibi ob oculos adductos, & titulatim nominatos, & alios item, qui sub suo nomine circumferuntur composuisset. Deinde, an ea, quæ in ipsis
libris

libris contra sacra Concilia , decreta Patrum , ritus & consuetudines à nostris majoribus, ad hunc usque præsentem diem observatas scripserit , revocare vellet , & ad finem & unitatem universalis Ecclesiæ redire , adhibitis ad hoc nostro & Imperii nomine admonitionibus , & adhortationibus, quæ obstinatissimum hominem etiam lapide duriores emollire & convertere potuissent. Qui sanè statim libros ipsos antedictos, ut suos agnovit , & confessus est , & nunquam se id negaturum protestatus ; imò & adhuc alios se composuisse dixit, quorum copia cùm nobis non fuisset facta, idcirco in medium non fuerant adlati. Quantum verò ad revocationem attinet , terminum sibi ad respondendum dari petit, qui quamvis meritò negare potuisset , tum quia novitates & errores in fide , nullâ sunt delatione tractandi , sed statim penitus rescandendi , tum quia ex mandato nostro sibi legitimè insinuato , nec non etiam litteris, quas ad eum dederamus , optimè admonitus , quam ob causam vocaretur , non nisi statim respondere paratus ad tantum Imperialis conventus concessum venire debuisset , tamen ex nostra clementia & benignitate unius adhuc diei terminum ad respondendum ei dedimus, quo elapso rursus

coram nobis & prædictis Ordinibus Imperii comparens, & similibus adhortationibus sæpius ut ad cor rediret, efflagitatus, pollicentibus etiam nobis, si resipisceret, erroresque suos agnosceret, & quæ in libris ejus damnata & mala essent, revocaret, facile nos impetraturos, ut à Beatitudine Pontificis in gratiam benignè reciperetur, & adhibito fideli, æquo, & diligenti examine, ex ipsius libris, quæ mala scripserat, fecerentur, quæ verò bona, autoritate Apostolica approbarentur, se ne verbum quidem in suis libris mutaturum, imprudentibus simul & impudentibus verbis, orisque & corporis gestu, quodvis, potius quàm religiosum aut sanum hominem præ se ferentem apertissimè negavit. Quinimò in nostram & Sacri Imperii faciem Summorum Decreta Pontificum, & concilia ipsa sacrosancta errasse sæpius, & sibi ipsis contradixisse, & tandem nullius apud se momenti fore asseveravit, seque nihil ex his, quæ scripserat, revocaturum, nisi evidenti sibi ratione, & sacræ Scripturæ autoritatibus ad suæ conscientie animique satisfactionem & assensum fuerit convictus. Illud subindè repetens, & inculcans (quo fraudum suarum virus jam multis detegi cœptum occultaret) conscientia sibi illæsa &

inte-

integra, neque velle se, nec posse verbum Dei immutare. Mala mens, malus animus. Quasi verò Nos, id ab eo peteremus, ut Verbum Dei immutaret; ac non potius, ut juxta verum Dei verbum ad gremium sanctæ Matris Ecclesiæ, à qua tam impiè, quàm turpiter defecerat, rediret. Cujus auctoritatem cùm tantam voluerit esse Dominus, idemque Deus noster Jesus Christus, ut qui Ecclesiam non audierit, tanquam Ethnicus & Publicanus sit habendus: idcirco non immeritò vel eam solam omnibus inventionibus & vaframentis hæreticorum longè anteferendam nemo nunquam nisi perditissimus & verè hæreticus & Lutherus judicavit, qui ut tandem egregia sua hic acta, condigno fine clauderet, & quod pessimè incœperat, pejus terminaret, quid animi habeat, & quàm fidelium clade exultet, vel in nostro & in sacri Imperii conspectu dissimulare non potuit. Nam detorta (ut hæreticis mos est) à vero sensu ad suam impietatem Evangelica illa sententia: Non veni mittere pacem, sed gladium. Omnium sibi, dixit, jucundissimam istam in rebus faciem, videre ob Verbum Dei studia & dissentiones fieri. Id est (quod utinam ne experientiâ videremus) ob dissidentes ab Ecclesiæ ritu Lutheri opiniones, quas Verbi Dei falso ti-

tulo prætexit, verè studia contraria, & diffensiones, & diffidia, & schismata, & bella, & cædes, & rapinas inter Christianos concitari. Tali igitur & tam subdolâ atque hæreticis omnibus peculiari responsione Nobis & sacro Imperio à Luthero datâ, etsi decreveramus ipso statim remissio ad ulteriora progredi (id quod ex sententia nostra, manu nostrâ scripta, & posterâ die publicata nemini non constare potest) Tamen ad preces omnium Imp. Ordinum inclinati adhuc ipsi triduum ad resipiscendum concessimus. Quo tempore duo Electores, duo Episcopi, duo Principes seculares, quoque civitatum nomine universos Ordines & status Sacri Romani Imperii representantes, & ad hoc communi omnium jussu & nomine deputati, vocato ad se Martino prædicto nullum non admonendi & adhortandi eum, ut tandem resipisceret, & nisi id faceret, quæ ipsum à nobis & Sacro Imperio, Legumque constitutionibus pœnæ manerent, declarandi officium frustra insumperunt. Unus etiam ejusdem sacri Imperii Elector adhibitis secum duobus Doctoribus, pietate & scientiâ præclaris, non solum adhortationibus, sed etiam multorum errorum evidentibus redargutionibus, ad ipsius usque obmutescentiam factis, mox seorsim

sim ipsum prudenter & humanè commo-
nefecit, ut ad Summi Pontificis, & Sedis
Apostolicæ, Nostrumque & sacri Imperii
statuum, & cæterarum fidelium nationum
sanam sententiam, juxta continuatum tot
sæculis Ecclesiæ ritum, potius quàm ad
suam unius opinionem respiceret, à qua si
recedens in ordinem redire vellet, id se pri-
mùm nonnullorum sanctorum Patrum,
qui & ipsi aliquando erraverunt, laudabili
exemplo, deinde salvis animâ, corpore, &
honore facturum cognosceret. Ad quæ
Martinus antedictus etsi varia pleraque, &
diversa; cumque iis quæ scripserat pug-
nantia, nihilo tamen meliora, aut saniora
privatim respondit, quàm publicè coram
nobis & sacro Imperio fecerat. Atque aded
se non omnes modo supra memoratos, sed
& Conciliùm ipsum generale (si quod fie-
ret) suspectum habere protestatus est. Et
(ut certissimo, & omni exceptione majori
testimonio nobis constat) polutissimo &
sceleratissimo ore profari non est veritus,
res Evangelii & Catholicæ fidei, nunquam
fuisse in Conciliis generalibus benè tracta-
tas. Undè non injuriâ plurimùm nobis mi-
rari subiret, cur nam à Summi Pontificis
sententia ad generale Conciliùm nuper pro-
vocarit, cùm tam impiè de Conciliis ipsis

loquatur & scribat. Nisi manifestè sciremus, ut nihil est hæreticis æquè formidabile, atque Oecumenicum Concilium, ita nihil illis iisdem magis proprium esse, quàm ut dictis factisque & scriptis secum ipsi diffideant. Quòd si usquam alibi, præcipuè in Lutheri libris (divina providentia sic operante, quo ipsius vana ædificia per se ruant) passim legere & videre est.

His omnibus & singulis sic omnino, ut præmittitur, se habentibus, cùm prædictus Martinus tam perversè & obstinatè in suis adeò manifestè hæreticis opinionibus persisteret, ut ab omnibus iis, qui sapiunt, partim demens, partim etiam malo aliquo obsessus spiritu judicaretur. Nos juxta tenorem salviconductus, ipsum statim à conspectu nostro missum fecimus, datoque ei in comitatu uno ex Heraldis nostris, & præscripto termino à die vigesima quinta mensis Aprilis, qua ex Wormatia discessit ad viginti deinde proximè futuros dies, quibus peractis unà salviconductus peractus & extinctus censeretur. Nunc tandem ad reliquas oportunas medelas huic pestilentissimo morbo necessarias, in hunc qui sequitur modum procedere decrevimus.

Primùm omnium ad honorem Dei omnipotentis, Romaniq̄ue Pontificis & sanctæ
Sedis

Sedis Apostolicæ debitam reverentiam, pro Imperialis dignitatis officio ac debito, nec non zelo & studio, quo nostrorum majorum more, & ingenita etiam Nobis vi ad defensionem Catholicæ Fidei, sanctæque Romanæ & universalis Ecclesiæ honorem, tutelam & protectionem omnes nostras vires & facultates, Imperium, Regna, Dominia, amicos, vitam denique & animam ipsam nostram exponere sumus parati. Ex Imperiali & Regia autoritate, nec non consilio & assensu Electorum & omnium sacri Romani Imperii Principum, Ordinum & Statuum in hac celeberrima & frequentissima Imperiali Diæta Wormatiæ congregatorum. Ad perpetuam rei memoriam exequendo sanctissimi nostri Papæ veri in hac parte judicis sententiam, decretum & condemnationem in litteris Apostolicis (ut supradictum est) ad Nos directis contentam, Martinum Lutherum, ut membrum ab Ecclesia Dei abalienatum, ut obstinatum schismaticum, & notorium hæreticum à nobis haberi declaramus, & ut talem à vobis omnibus & singulis habendum decernimus, & edicimus, Mandantes de eorundem Statuum consilio & consensu, sub criminis læsæ Majestatis, Nostræque & Sacri Imperii gravissimæ indignationis,

tionis, ac etiam amissionis Feudorum, Dominiorum, & bonorum omnium: Gratiarum quoque, & omnium Privilegiorum à Nobis & Sacro Imperio dependentium, quæ obtinuistis hæctenus, aut præcessores vestri quomodolibet obtinuerunt, nec non proscriptionis, ac Banni, & interdicti Imperialis poenis. Ne quis vestrùm præfatum Martinum Lutherum receptare, defendere, sustentare, fovere dicto, facto, aut scripto præsumat. Quinimò post elapsum supra dictum viginti dierum terminum, contra eum, ubicunque deprehensus fuerit, & in manu, aut facultate vestrà erit, juxta formam Imperialis Banni procedatis, vel saltem captum tam diu custodiatis, donec Nos à vobis de hac re certiores facti, de legitima in eum prosecutione facienda vobis significemus, & vos tam sancti operis & laboris debita præmia, & mercedem etiam uberem cum impensis ob hanc causam factis reportetis.

Et nihilo minùs ejusdem Martini complices, adhærentes, receptatores, & quomodolibet fautores, & sectatores (nisi se iniquitatis semitam deseruisse, & autoritate Apostolicâ absolutionis remedium consecutos esse fidem condignam fecerint,) nec non eorum omnia & singula bona, mobilia,

lia, & immobilia, juxta sacras Constitutiones ac interdicti & Banni Imperialis, legem & ordinem liberè & absque ulla contradictione persequamini, illosque & illa capiatis, & in usus vestros Opt. & pleno jure convertatis. Mandamus insuper vobis omnibus & singulis præfatis, sub eisdem prænominatis pœnis. Ne quis Martini Lutheri scripta à Summo Pontifice autoritate suâ Apostolicâ (ut præmittitur) damnata, aut alia quæcunque tam Latino, quàm Germanico, seu alio quovis idiomate ab eo hætenus composita, vel in posterum componenda, vtpotè mala, suspecta, & à notorio & pervicacissimo Hæretico provenientia emere, vendere, tenere, legere, describere, imprimere, aut describi, vel imprimi facere, asserere, sustentare, prædicare, defendere præsumat. Non obstante quòd in illis etiam aliqua bona ad fallendas simplicium mentes immixta essent. In quo præter justam Sedis Apostolicæ sententiam etiam laudatissimam veterum Patrum institutionem & consuetudinem omnino exequendam duximus. Qui Arrianorum, Priscillianistarum, Nestorianorum, Eutychianorum, & aliorum hæreticorum libros, & in illis contenta omnia tam bona, quàm mala promiscuè exusserunt, & adnihilaverunt:

runt: neque id immeritò. Nam si optimi quique cibi unius tantum guttæ veneni, quo humanum corpus læderetur, infusione suspecti penitus sunt abjiciendi, quantò magis ea scripta, quibus tanta & tam noxia animabus venena passim inserta sunt, non solum nobis cavenda sunt, sed etiam ne aliis noceant, prorsus destruenda, & corrumpenda, atque ab omni hominum memoria veniunt observanda. Accedit ad id, quod quicquid boni in Martini libris reperitur, id antea à sanctis Patribus, quos Ecclesia recepit & approbavit, sæpè dictum, & sæpiùs repetitum, absque ullius periculi, aut mali suspitione legi & haberi potest.

Ea propter sub eisdem pœnis omnibus, & singulis supradictis: Vos omnes & quilibet vestrùm tam Principes, quam alii, ad quos justitiam quomodolibet pertinet ministrare, & alii, quicumque in universo Imperio Regnis & Dominiis nostris constituti, hujuscemodi pestiferos Martini libros, tam Germanicos, quam Latinos, impresos & imprimendos, aut etiam manu scriptos, ubicunque reperiantur, utpote magnæ seditionis, schismatis, hæresios in Ecclesia Dei fomites diripiendos, & publico igni consumendos, penitusque abolendos cum effectu curetis, Apostolicisque Nunciis,

ciis, seu eorum Commissariis, si operam vestram ad hanc rem requisierint, fideliter & diligenter adsistatis. Et nihilominus in eorum absentia, per vos ipsos hæc sic fieri nostro nomine & jussu omnino & reipsa faciatis. In quo, omnibus fidelibus dilectis subditis nostris, ut nobis, ac vobismetipsis assistant & pareant tenore præsentium sub eisdem pœnis injungimus & mandamus.

Verùm quia maximè cavendum est, ne Martini, aut ex illis excerpta mala, suppresso, aut etiam mutato autoris nomine publicentur. Quia etiam non sine magna animi nostri offensa, multos quotidie videmus & audimus cum alibi, tum maximè in Germania componi, & imprimi libros plurimis malis traditionibus & exemplis refertos: & ne non omni astu & dolo humanæ naturæ hostis Christianis laqueos tendat, multas passim divulgari picturas & imagines non in opprobrium modo privatarum personarum, sed & ipsius Summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ contumeliam excogitatas. Ex quibus omnibus libris & picturis, Christi fideles in maximos tam in fide, quàm in vita, & moribus prolabuntur errores, & non solùm privata odia, scandala, & simultates (prout experientia docet) multis in locis exorta fuerunt, verùm etiam seditiones,

tumultus, rebelliones, schismata, in regnis, provinciis, & populis, atque universa Dei Ecclesia (nisi provideatur) jam jam excitanda formidantur. Idcirco ad hanc perniciosissimam pestem extinguendam ex supradictorum Electorum & Statuum concordia animo & sententia omnibus & singulis supradictis, tam imperiali, quàm hæreditario jure nobis subditis, sub jam sæpe dictis omnibus pœnis præcipimus & mandamus. Ne quis hujusmodi famosos & pestilentes libros, seu quascunque alias schedas, scripturas, imagines, picturas, contra Orthodoxam fidem, bonos mores, & id quod sancta Romana Ecclesia hæctenus observavit, atque etiam invectivas, criminationes & ignominias contra Summum Pontificem, Sedem Apostolicam, Prælatos, Principes, Universitates studiorum, & eorum Facultates, honestasque personas componere, scribere, imprimere, depingere, vendere, emere, tenere, habere, aut imprimi, describi, depingi, vel vendi facere, quâvis arte aut dolo audeat, aut attentet. Quinimò sub iisdem pœnis jubemus omnibus, & singulis supradictis, & præsertim iis, qui justitiæ ministerio præfunt, ut ejusmodi libros quoscunque, ante hac impressos, vel post hac imprimendos, nec non etiam manu-

scriptos,

scriptos , cujuscunque sint Autoris , aut
ubicunque locorum per sacrum Imperium,
atque etiam nostra hæreditaria regna , &
dominia inveniantur, similiter etiam pictu-
ras hujusmodi & imagines nostro jussu &
nomine occupent , diripiant , & publico
igni comburant. Et nihilominus hujusmo-
di detestabilium librorum , codicum , sche-
darum , scripturarum , & picturarum au-
tores & inventores , ac etiam post præsentis
mandati publicationem impressores, emp-
tores & venditores , qui contra jussa facere
præsumpserint (si modo id legitimè consti-
terit) nec non eorum jura , & bona omnia
& singula capiant , apprehendant , & deti-
neant , ac jure bono , quidquid sibi libitum
fuerit de illis disponant , ita quòd de hoc
nulli hominum tam in judicio , quàm ex-
tra ; respondere sint obligati. Atque ut om-
nis ejuscemodi & aliorum occasio tollatur,
& ne alia scribentium venena longè lateque
diffundantur , sed præclarum imprimendi
libros artificium in bonos tantum & lauda-
biles usus exerceatur , ex certa nostra scien-
tia , animoque deliberato , ac Imperiali Re-
giâque authoritate , de maturo supradictor-
um Electorum , & aliorum sacri Romani
Imperii Statuum consilio , deliberatione , &
unanimi consensu volumus , & sub Banni,
&

& interdicti Imperialis , ac aliis antedictis
 pœnis præcipimus & jubemus , tenore præ-
 sentis edicti , quod vim inviolabilis legis ha-
 bere decernimus. Ne quis de cætero Cal-
 cographus , & librorum impressor aut alius
 quisvis ubilibet per sacrum Imperium, atque
 nostra prædicta regna & dominia constitu-
 tus , libros ullos , seu aliam quamcumque
 scripturam , in quibus de sacris litteris , aut
 Fide Catholica aliquid vel minimum tra-
 ctatur , non habito prius consensu , & vo-
 luntate Ordinarii loci , aut ejus ad hoc Sub-
 stituti & deputati , aut autoritate etiam Fa-
 cultatis Theologicæ , alicuius propinquæ
 Universitatis pro prima videlicet impressio-
 ne. Alios verò cujuscunque rei & facultatis
 libros , schedas , & picturas de consensu sal-
 tem Ordinarii , aut ejus ad hoc Substituti ,
 ullo pacto imprimere vel vendere , aut im-
 primi vel vendi facere directè vel indirectè
 quoquo modo præsumat , aut attentet :
 quod si quis cujuscunque sit dignitatis , gra-
 dus , aut conditionis , hanc nostram men-
 tem , decretum , statutum , legem , & or-
 dinationem in omnibus & singulis supradi-
 ctis , tam Lutheranam , quam impresso-
 riam materiam concernentibus inviolabili-
 ter observandam ullo pacto , aut quovis
 quæsito colore vel ingenio contra facere,
 aut

aut venire aufu temerario præsumpferit, præterquam quod illud irritum decernimus & inane, etiam in læsæ Majestatis crimen, ac nostram & Sacri Imperii gravissimam indignationem, proscriptionisq̄ue & Banni, ac interdicti imperialis, nec non alias sæpè dictas pœnas seipso facto incurrisse cognoscat.

Harum testimonio litterarum Sigilli nostri munimine roboratarum. Datum in civitate nostra imperiali Wormatia, die octava mensis Maii, anno Domini millesimo, quingentesimo vicesimo primo; Regnorum nostrorum, Romani secundo: Cæterorum verò omnium Sexto.

Obitus Cardinalis Croy, & Guilielmi Ceverii. Bellum inter Cæsarem & Gallos ortum.

DUrante conventu Wormatiensi duo amisit Aulæ suæ præcipua ornamenta Carolus Imperator, Guilielmum Croyum Archiepiscopum Toletanum, & Cardinalem, qui ex Lovanio Carolum Cæsarem electum, in Germaniam secutus, juvenis Wormatiæ decessit, mense Januario, ætatis anno vigesimo tertio: Lovanii in templo Divi Petri è regione macelli fenestra vitrea hujus

hujus est opus. In eadem urbe Wormatiensi Guilielmus Ceverius, Toletani patruus, vir consilio magnus, ægrotare cùm cœpisset mense Maio anni ejusdem, non multò post naturæ concessit. Cui viro si longior vita contigisset, aut nunquam susceptum fuisset (erat enim pacis amantissimus) aut jam confectum esset bellum, quod exarsit postea inter duos potentissimos Christianos Principes; Carolum Cæsarem, & Galliarum Regem Franciscum; cujus initio belli nostrates subitò accessu occupatis Gallorum aliquot oppidulis, cum ingenti exercitu ad Marceriam urbem armis vindicandam profecti, locum capere non potuerunt, quem natura munitissimum Gallica insiderant præsidia. Quidam putant hoc consilio à nostris obsessam fuisse Maceriam, ne Gallus Mediolanum properaret, quod tùm Cæsar Carolus maximis viribus obsidebat.

Mors Leonis Papa decimi. Electio Adriani Sexti, & ejusdem obitus.

ANno insequenti, mense Decembri Leo hujus nominis decimus Pontifex Maximus Romæ moritur: in cujus demortui locum anno Christianæ redemptionis millesimo, quingentesimo, vigesimo secundo,

cundo, menſe Januario, Cœli providentia orbi Pontificem dedit Adrianum Florentium Trajectenſem à Trajecto inſigni Hollandiæ oppido, Cardinalem Sanctorum Joannis & Pauli, eximiâ ſacrarum litterarum doctrinâ, atque omni virtutum genere ornatiffimum virum, quem adhuc in minoribus agentem Cæſar Maximilianus Caroli nepotis pueritiæ formatorem ex Lovanio aſciverat. Habuit orbis noſter hunc primum Pontificem Romanum à Petro, eſtque vocatus Adrianus ſextus, nomine ſervato, quod olim in baptiſmo acceperat. Cùm Romæ eligeretur magno Cardinalium conſenſu, agebat iſtum in Hiſpaniis, regnorum Caroli Cæſaris Gubernator: aberat enim Carolus ob negotia Imperii: poſt octo deinde menſes Romam veniens, maximo totius urbis gaudio pridie Kalend. Septemb. coronatur; ſub cujus appuſſum ingens exorta peſtilentia, duravit ac ſæviit hyemem unam: Rhodus quoque à Turcis capta, cujus oppugnandæ hoſtibus occaſionem præbuiſſe exiſtimo, has inteſtinas Chriſtianorum Principum diſcordias. In hoc etiam viro nominis illud verum oſtenſum eſt: omnia in humanis quò meliora, eò minus diuturna eſſe, nam ut optimus ejus Pontificatus futurus, ita breviffimè efluxit;

fluxit ; moritur enim altero suæ administrationis ineunte anno. Extincti corpus illatum templo Petri Apostoli sepelitur , medium inter duos Pontifices appellatione Pios , Secundum , qui Eneas Sylvius antea dictus , & Tertium , quem Alexandro suffectum , viginti sex dies , non amplius Pontificem nostra vidit pueritia. Adrianus domum suam Lovanii magnificè extructam , in usum vertit sanctis litteris studentium , iisdem in alimoniam relictis etiam proven- tibus annuis. Nunc ad bellum recurro , quod alio dixi loco exortum inter poten- tissimos Principes.

Memorabilis obsidio Ticini sive Pavia , qua anno post Christi ortum M. D. XXIV. sub Kalend. Octob. à Francisco Christianissimo Galliarum Rege adversus Carolum Casarem inchoata , exiit in Kalend. ferè Martias anni insequentis.

ADversus Carolum Quintum , Hispaniarum Regem , & jam electum Romanum , terra marique præpotentem Principem , spiritus erigere est ausus Rex Galliarum Franciscus ejus nominis primus , vel quia prælatum sibi in Imperio Carolum ægrè ferret ; miserat enim & ipse non unam
 Lega-

Legationem ad Electores sacri Imperii, vel quia illustrandi nominis occasionem quæreret. Siquidem persuasum est, nescio quomodo Christianis Regibus haud fieri posse, ut aliâ viâ quàm bellis inter se gerendis, imò fortasse veriùs dixerim, exercendis atrociniis, immortalitatem parent. Itaque belli hujus initio Gallus quædam loca nostratibus, nostrates Gallo ademerunt. Utrunque à belli Imperatoribus res curatæ haud segniter; quid casu, quid industriâ parari possit, hinc atque illinc prospectum est. Tandem & Mediolanum Gallo adivit Carolus. Eratque supra millesimum, quingentesimum, vigesimus quartus à Christi natali die annus, cùm Septembri mense exercitus Cæsarii Massiliam obsiderent urbem insignem & antiquam Transalpinæ Galliæ. Duces exercitus erant Carolus Borboniæ Princeps, qui nuper ob causas multò justissimas, à Gallo ad Cæsarem defecerat, & Marchio Piscariæ vulgò sic nominatus, ambo viri ad omnia vel excogitanda, vel explicanda consilia prudentissimi. Gallorum Rex Franciscus per idem tempus ex diversis Europæ locis acri delectu undique habitò, magnos contraxerat exercitus ad solvendam Massiliæ obsidionem. Huc iri, huc properari, noctes diesque cùm audif-
sent

sent Cæsareæ Duces militiæ relictâ Massiliâ, copias aliò suas abduxerunt; erat enim viribus longè superior Gallus, cui cùm renunciatum esset totam fermè Insubriam pestifero morbo vastatam, grassari, sævireque indies hoc malum inclementiùs, cum tam instructo exercitu Italiam petere constituit, cujus bonam magnamque partem se sperabat facilè & paucis quidem diebus in suam potestatem redacturum. Is mirâ igitur & incredibili celeritate superatis Alpibus, ineunte Octobri agrum Mediolanensem attigit. Interea pari studio est eò properatum à Cæsareanis Ducibus. Hi Papiam, aut (ut veteri dicam nomine) Ticinum, illius Duces cum equitibus aliquot Mediolanum ingressi sunt, Regi & copiis ejus hospitia peturi. Hæc agitantes, subitò oppressit Ferdinandus Archonus qui præfectus erat castrorum Cæsaris. Intra mœnia occisi aliquot, cæteri quâ poterant fugâ dilapsi. Haud multò post Neapolitanus Vicerex cum suis & ipse copiis eò properavit: cujus adventu Principis dictu mirum, quàm tota exultaverit civitas. Ducibus in animo erat, huc universum traducere exercitum, urbemque defendere, si quid Gallus moliri vellet, sed dum neque muro aut vallo

satis

fatis munitam, neque in turribus & propugnaculis quicquam bellicarum vidissent machinarum, relicta eâ, Laudem Pompei venerunt. Deinde Papiam (sic enim nunc libet notiore vulgò appellare vocabulo) Dux concessit Cæsarius Antonius cognomento Leyva, vir imprimis strenuus, quamquam ætate quæ præcesserat, ingentem civium vim absumpserat morbus pestifer. Antonius tamen oppidum hoc defensurum se facilè sperabat adversus gentem Gallicam. Sub Kalend. itaque Octob. hostium exploratoribus in Papiensi agro conspectis, Dux ipse unâ cum præfecto castrorum Cæsaris moenia obequitans muniri loca omnia, ferrea & ænea tormenta, lapidesque tormentarios subvectari, aggerem intus substrui; denique nihil non eorum parari jubet, quòd ad arcendum hostem pertinere existimaret. Dum hæc Papiæ aguntur à Civibus & milite qui intus erat, Gallorum Rex cum suis Proceribus, ad Carthusianorum haud longè ab oppido difsitum Cœnobium, venit quinto Kalend. Novemb. Eodem tempore & ab hujus exercitibus obsideri atque oppugnari coepta est Papia. Hic Cæsareani unâ atque alterâ impressione sustentatâ, Gallos aliquam multos trucidant, alios in fugam agunt.

Postri-

Postridiè universo Ticini occupato suburbio, Galli molendina (sic enim vulgus nominat, quibus ad victum quotidianum paratur farina civitati) partim ferro subversa in flumen præcipitant, partim ignibus dedunt. Ita futurum sperantes, ut his sublatis, propediem panis laboraret inopia civitas. Verum huic malo statim occursum ac inventum est remedium, factis intra mœnia ligneis hujusmodi molis, quas equi pariter ac homines in gyrum agerent. Hic passim in Sacellis, in Scholis legum civilium (est enim hæc urbs gymnasio quoque insignis) farinam parari vidisses. Turricula erat in ripa Ticini haud longè à mœnibus, undè Hispanorum armata manus facilè Gallum prohibebat, ne ad urbis murum accederet. Hic certatum aliquamdiu cùm esset, neque rebus Indies pessum euntibus amplius ferre vim hostium possent, Hispani corporum pacti incolumitatem, se dedunt. Victor Gallus contra fidem datam omnes qui eum paulò ante locum tutati fuerant, suspendio necavit, quam rem, ut par erat, iniquissimo tulit animo Dux Cæsarius. Turrim Papiensibus ademptam Gallorum aliquot pedites conscendunt, omni telorum genere divexantes Germanum, qui ea parte ad tuenda mœnia dispositus erat. Jussu Ducis

Anto-

Antonii tandem eò advecta machina, quæ huic finem incommodo maloque fecerit. E muro enim ferreis injectis globis non sine Gallorum strage corruit turricula octavo Idus Novembris de communi sententia ad oppugnandam urbem totus fermè exercitus rapitur, magnoque bellicarum rerum apparatu instructus, ad ipsas quoque fossas admovetur. Qui intus erant vasa lignea, terram, alia multa comportare, aggeres erigere, nihil hosti opportunum relinquere, nihil sibi quod idoneum ad depellendum esset neglectum permittere. Hoc statu rerum Hippolita Malaspina singularis animi mulier, nunc plures Germanos, Hispanosque, nunc singulos coram benignè appellasse, fortes confirmasse, timidos erexisse, alios alia ratione cohortata, & ut bonum haberent animum jusuisse traditur. Biduo post disjectis primum haud uno loco muris bombardarum ictibus, acerrimè pugnatum est, dum neutri cedere loco volunt, tandem strage multâ superati Galli, alii interficiuntur, alii in fossas præcipites dantur; hoc nondum peracto prælio, Galli aliâ urbis parte cives multa vi oppugnant, sed majore aliquanto ii se defensitantes resistunt. Interea Antonius Leyva Cæsareanorum Dux exercituum suos admonere, pulchrius esse

esse nihil, quàm pro gloria certare, meminisse eos debere cum hostibus rem geri, quos sæpè alias vicissent ipsi. His vel paucis accensi milites, ferociùs multò ad pugnam processère, victoriam sibi certam promittentes. Fusus tandem sub vesperam Gallus, multi cæsi, multi in fossas præcipitati, & lapidibus obruti, quorum casu consternati, alii desertâ oppugnatione trepidi se in castra recipiunt. De hac victoria Antonius statim datis ad Viceregem Neapolitanum litteris, fatigatum militem passus est convivii ac lusibus se reficere & quietem capere. Interim ipse haud decere existimans Principem virum, cui exercitus commissi sunt, in cujus cura pendent rerum tanta momenta, solidam dormire noctem, qui fracti erant aggeres instaurandos, trabes, grandia saxa in munitiones deferenda curat; urbemque obequitans, nihil usquam neglectum patitur: Urbi tota supplicationibus decretis immortalis Deo sunt actæ pro victoria gratiæ. Per eosdem dies apprehendit equitem quemdam Antonius, qui Gallorum Regi significasse dicebatur in urbe multam esse pulveris tormentarii inopiam, vigilaret ipse, haud fieri posse, ut obsessi resisterent diutiùs. Hic talis quæstioni subiectus, crimen confessus est, ac publicè

exen-

exenteratus membratim difsecatur, ad omnem proditiōis materiam in futurum tollendam. Sub exitum mensis Novembris, Galli animadvertentes qua parte oppidi labitur Ticinus amnis (undè vetus Urbis nomen) sine fossa & vallo esse mœnia, statuerunt ab alveo veteri, in aliam partem aquas deducere, ut ita facilius ad patentia urbis mœnia pervenirent. Res tentata, conjectis in alveum trabibus, ramis, & arborum truncis maximarum. At non successit, impediri nam haud potuit, ne in consuetum recurreret locum Ticinus. Hic dum Gallus incassum per dies aliquot laborat, Cæsareani interea totam eam quæ fluvium spectat partem, excitato aggere muniunt. Secundùm hæc milites Germani, catervatim ad Ducem concurrentes, stipendia sibi debita exigere, unde se vestiant, unde ventri quoque satisfaciant. Dux Antonius auditâ militum querelâ, ut nihil superesset nummorum, animo vehementer anxius diversa secum & cum suis consilia agitare cœpit. Decretum est tandem, ut Mercatores pannarii militem vestirent, solutâ obsidione à Cæsareo quæstore pecuniam accepturi: Nummos exteri mutuo darent. Verùm hinc modica coacta summa est. Rari enim Cives, rarus erat in urbe Mercator. Bonam

namque Civium partem superior assumpserat pestilentia, multi quoque jam impendente obsidione, Papiam reliquerant. A Præfectis igitur oppidi magna falis quantitas, & quod mutuum ab Alexandrinis quibusdam negotiatoribus, qui eò venerant accepissent, venditum publicè frumentum, sed ubi nec his quidem modis tantum contrahi potuit signatæ pecuniæ, ut militi solveretur, nobilis Dux Antonius sua argentea vasa omnia conflare & in nummos converti jussit, undè stipendium est militi subministratum. O virum cantari dignum, hic argenteam suppellectilem, ut bellum gereret, ut cives defenderet, conflavit. Alii ut Cives suos expilent, ut aurea & argentea vasa comparent, bella gerunt; crescere coepit hoc tempore obsidionis calamitas. Tantâ enim laboratum est inopiâ rerum omnium quæ ad victum pertinent, ut equinæ carnes & asininæ obsessis pro cibo fuerint. Mali hujus datam causam existimo, quòd ubi haud multò antè allatus intra urbem nuncius fuisset, Caroli Cæsaris propediem ventura auxilia, in magno & publico gaudio exercituum Duces, prandiis aliquot nimis opiparis militem adhibuerant, undè penuriam absumptis omnibus nasci fuit necesse. Per eosdem dies etiam lignis

ad

ad cibum coquendum deficientibus, miles pulcherrimas civium ædes diruit. Tam durum est telum necessitas. In his malis iterum laceffere obsessum Gallus, Germano excubias agenti, asininæ carnis esum exprobrabant. Quibus commoti per castellum Prothomartyris Stephani vicinum ædiculæ, se proripientes, Gallorum unam cohortem fudère: hinc addunt quidam hominem Minoritam, cui Antonius Leyva quotannis confessionem facere solitus erat, ad hunc à Francisco Gallorum Rege extrusum, ut de tradenda sibi in manum Papiæ cum eo ageret, futurum ut à Rege magnam auri vim, atque annuos acciperet proventus amplissimos. Primùm Dux egregius, quiq̃ue fidem muneribus anteferret: Te, inquit, Monache cum tua isthac præclara Legatione laqueo vitam hodie finire juberem, nisi cognita mihi esset in te morum probitas vitæque sanctimonia; proinde abi, neque de re hujusmodi post hac me adeas, Regi tuo, qui huc te misit renunciabis Papiam Cæsaris esse, quam si suam esse velit, armis & suorum sanguine nobis adimat oportet. Nihil remisit per hos dies rerum omnium caritas. Jam Philippeo una emebatur gallina, eoq̃ue paulatim res invaluit, ut vix jam equinæ & asininæ carnes reperirentur. Cùm ob-

fessi penè quotidie in hostium castra excurrerent, eosque sæpius nihil tale metuentes adorirentur, Gallus ambitum urbis quantum esset, fossa & vallo cingere festinat. Simul ne Papiensium exploratoribus siquando exissent facilis esset in urbem reditus, neque auxiliares copiae ad obsessos ingredi sine pugna valerent, rumor enim in castra Gallica manaverat, septem Germanorum millia adventare subsidio Cæsareanis, easque copias ad civitatem Laudensem profectas, partim intra muros, partim sub moenia consedisse. Hac item causa Rex Galliarum magnis stipendiis, majoribus pollicitis, ad se accersivit Joannem Mediceum bellicosum, acrem, atque in victoriis enutritum virum, qui in regia castra cum armata peditum manu pervenit pridie nonas Decembris. Hujus adventus spem victoriae magnam Gallorum Ducibus, majores Regi spiritus excitavit, qui sub appulsum candida vexilla quindecim haud longè à civitatis muro disposita ostentat, ita futurum ratus, ut novitate rei & spectaculo insolito perterrefaceret hostium animos. Dehinc ejusdem pedites, admotis ad urbem schalis, eam capere sunt conati; sed accurrens tempestivè Germanus impetu factò, militem Mediceum facilè dejecit. Iterùm stipendia
effla-

efflagitare Germani, quibus & strenuis, & in eo rerum-statu necessariis militibus, ut per omnia fatisfieret belli. prudentissimus Imperator Antonius, pecuniam quantam posset publicè, privatimque ut corraderet, à Canonicis templi majoris mutuuum accipit, fasces, insignia, vel argenteos, ut puto, baculos, qui Ticinensis scholæ Rectori ad comitia vel eunti aliò præferri consueverant, etiam mutui nomine acceptos in nummum conflata, à singulis quoque civibus aliqua pecuniæ portio data est. Acceptis hinc stipendiis Germani, quocunque res vocaret, alacriter ire, nusquam imperia detrectare, nulla non in re officii memores esse. Per hos dies multò erat annona carior, & cibariorum inopia major. Nusquam nunc vidisses in foro venales perdices, turtures, & fasianos. Porrum & cepe in horum successerant locum. In macello tantum equina & asinina, panis furfuraceus per omnia urbis loca venundabatur. Jam Domini natalis aderant festi dies, quo tempore Alphonfus Ferrariæ Princeps magnam tormentarii pulveris copiam transmisit ad Regem Gallorum Franciscum. Hic puluis ut tutò castris inferri posset, Joannes Medicus cum satis magna equitum manu ad septuaginta passuum millia contendit obviam.

viam. Adveſto pulvere, Gallus exultans minitabatur ſe colubriniſ, bombardis, omni armorum genere Papiam brevi oppugnaturum. Hic ingens terror ac trepidatio civitatem invaſerat; Virgines, Matronæ, Sacerdotes templa adire ac Divorum opem implorare juſſi, pacemque per aras expoſcere. In tanto metu valde confirmati ſunt militum pariter & civium animi, cum inſignis Dux Antonius in Senatu litteras recitaſſet, quibus à Vicerege Neapolitano certiores fierent, cum octo Germanorum millibus, & ſexcentis è Burgundia equitibus in Veronenſem agrum veniſſe Ducem Borboniæ, adfuturumque eum propediem. Extitit paulò ante hos dies frigus atrocius, ut ruruſum neceſſe fuerit ex civium ædibus, ligna ac trabes ad ignis uſum revellere. Nonis Januariis Galli turrim quandam in mœnibus ſitam, machinis & tormentis æneis quater incipiunt, biduo tamen continenter quaſlata, partim concidit. Hoſti præter ſpem hæc res evenit. Conſtituerant enim ſi tota corruiſſet, per ruinas ejus in urbem ingredi, id quod factu non difficile fuiſſet. Nulla enim foſſa ad eam erat urbis partem. Haud multos poſt dies arcem quandam ſtrenuè magis quàm feliciter oppugnare adorti, magna ſudrum ſtrage à foſſis mœnibusque

busque sunt repulsi; quanquam nec Germanis, qui arcem defendebant incruenta hæc fuit victoria. Postridiè Hispani cum Germanis vallum conscendunt, magnoque impetu in tormentorum custodes illati, prælium comittunt, cæsis plerisque, alios in urbem captivos ducunt. Hic edocti à Gallis & Italis, Gallica signa sequentibus Regem de oppugnanda iterum Papiam mutasse sententiam: constituisse tamen in obsidione cum omnibus copiis totoque apparatu bellico perseverare. Quod per exploratores cum intra urbem norit copias militares rei frumentariæ, & extrema penè cibarium inopia laborare. Decrevit hac ratione comeatu intercluso ad deditorem illos cogere. Narrant quidam hoc eodem tempore in stabulo quodam Papiæ inventos equos, qui cum nihil haberent, quo latrantem possent placare ventrem, ligna comederint, lapides roserint. Hoc ut parum credibile, adscripturus non eram, nisi in ejus commentariis reperissem qui ipsum per totum hoc tempus Papiæ fuit, quo obsidebatur. Jam tertium stipendia petentibus Germanis, decretum est, ut cupedinarii lanii, pharmacopolæ, cæteri que cives, qui officio manuario quæstum facerent, aliquam darent æris portionem. Antonius ipse ut

nusquam non esset sui similis, quod gestabat aureum monile conflavit. Hispani armorum Duces quidam opulentiores, mutuum dederunt. Hâc pecuniâ placatus miles, ducibus suis per omnia paruit. Hîc taceo crebras Ticinensium in Gallos eruptiones & pugnas, & levia pleraque inita certamina, quibus nunc cæsi multi, nunc multi etiam capti. Sexto Kalend. Februarias Dux Borbonius, vir fortis & multis rebus gestis clarus, repente cum valida manu apparuit in agro Laudensi. Hæc res ad Gallum ubi manasset, postridiè mane tormenta omnia, quæ urbis mœnia spectabant, avehenda curavit ad locum, quâ venturas putavit hostium copias, ita prohibiturus, ne propius accederent. Militem quoque in urbeculas, quas occupaverat hyemantem, ad castra vocavit. Quæ per totum Februarium mensem & Ticini, & in hostium castris acta sunt, non tam prætermitto, quàm ad majorem scribendi reservo diligentiam in eo opere, quod nobis de Brabantia Principibus elucubratur. Borbonius verò, & Vicerex Neapolitanus, ubi jam Gallos adoriri statuissent, rati quòd postea successit, superiores se futuros, cum suis proprius accesserant exercitibus. Jamque dies venerat, qui sextus est ante Kalend. Martias, quo tempore

pore ex loco castrorum eminentiore Papiensibus, qui plus quatuor jam menses inclusi tenebantur belli data signa. Quod ubi intellexit copiarum Cæsaris in urbe obsessa Præfectus, mirè exultans: bona enim spes habebat animum ejus futuræ victoriæ, convocatis suis: Nunc animis opus est milites, inquit, vocati nos fortunam sequamur; facti virtute estote, quâ me euntem videtis sequimini Ducem. Hæc ubi dixit, relictis qui urbem tuerentur, copias educit, primum omnium tribus locis effracto arietibus castrorum muro, qui Gallicas acies egregiè tuebatur, Cæsariani vallum irrumunt. Rex ubi hostem intra munitiones esse audivit, sub Auroram (erat enim dies Matthiæ Apostolo sacer, qui est Februarii vigesimus quartus) jubet una cum bellicis machinis obviam ire armatos qui resistent & Cæsareanos prohibeant. Itur, pugna committitur varia, atrox, cruenta; & jam Galli nostratium bellica instrumenta majora obtinuerant. Cæsariani pedem retrahebant, cum Alphonfus Marchio Vastensis, vir conferendis manibus audacior, in Gallicas penetravit acies; cujus adventu resumptis animis, nostri in hostem (erat hic Helvetius) redeunt. Voces pugnam instaurantium Cæsareanorum exaudiebantur: Cæ-

dite gladiis , figite hastis , sternite jaculis. Haec tenus ita praelusum est futuræ pugnae ; jam Borbonius singulari prudentiâ vir & bellicis rebus cuilibet ferè veterum comparandus , ita suos paucis quidem , sed efficacibus verbis hortatus dicitur : Nihil refert viri fortissimi , quot peditum , quot equitum millia Gallus ad Papiam adduxerit , quando cum longè majoribus copiis sæpius ac prosperè semper conflixeritis ; adhibete modo animos alacritatis ac fiduciæ plenos , haud enim in limine vestrorum laborum , sed in exitu statis , Gallorum (ut spero) victores domum reversuri , si paulum adhuc niti volueritis : credite , vos ad prædam & gloriam , non ad prælium vocatos ; digni estis qui talibus , quibus abundant hostium castra in patriam onusti redeatis. Ad quæ Ducis optimi verba secutus ingens militum clamor se omnino paratos esse , dicentium Imperatorem suum per æqua & iniqua sequi , libenter ituros ad unum omnes quod ipsius fortuna duceret. Jam enim Mingavalius aderat Vicerex Neapolis. Is quoque militem hortari , ut acriter pugnaret , sciret illius victoriam diei Galliarum maximas opes Cæsareanis in prædam daturam. Hæc ille , & alia similia , quæ in tali discrimine à facundis Imperatoribus adhiberi solent.

Ex

Ex adverso stabant & instructæ aduersarum partium acies ; & jam signis canere incipientibus , renovatum est prælium , magnis & infensis utrinque animis , nec spe militum dissimili Cæsareanis suâ virtute , hostibus militum copiâ fretis. Marchio Piscariæ Cæsareanus , ante suorum nunc ora ferri , nunc hostem invadere , peditem immittere , hortari voce , manibus significare socium adesse se periculorum omnium atque adiutorem ; vidisses & hic Borbonium ferientem , cædentem , in hostem incurrentem , vulneratos ex acie subduci jubentem , integros submittentem : multi utrinque vulnerabantur equi & viri , pediti pedes , equiti eques , singuli penè singulis aut ense aut hastâ sibi aduersi pugnabant. Rex Galliarum vir militari disciplinâ , tum corporis , tum animi viribus æquè clarus , & ipse fortiter dimicans , unius Vexiliferum Legionis Germanicæ an Hispanicæ incertum est , suâ manu confodit. Horam ferè unam dubius fuit , & anceps pugnæ eventus , cùm repente suorum casu pedites Galli consternati , primùm loco cedere , mox terga simul vertere cœperunt. In prælio trucidati à Germano milite Suevi prope omnes , & qui pro Gallo steterant Itali. Ex Helvetiis mille quingenti , Duces quoque Francicorum

exercituum præstantissimi ; in quibus clas-
 sis Præfectus unâ cum filio , Dux Monfor-
 tius , Princeps Tremolius , Busius , Caja-
 monius , Bubansius. Jacebant humi passim
 equis effusi nobiles pariter atque ignobiles.
 Quidam adhuc palpitantes, alii ut suo vesti-
 tu obriguerant aut ensẽm aut parmam te-
 nentes. Crudelis ubique luctus , ubique pa-
 vor , & plurima mortis imago. Stabat jam
 Rex Galliarum undique tælis expositus ,
 cùm suis hortantibus , ut re jam inclinata è
 prælio excederet , non faciam , inquit : hęc
 extingui pulchrum mihi & laudabile exi-
 stimo ; eâ sum stirpe , iis majoribus ortus ,
 ut non tam longam vitam , quàm nominis
 æternitatem optare debeam. Hęc ita locu-
 tus , cum suis jam ad salutem magis , quam
 in spem victoriæ , adversus hostem dimicat.
 Verùm ubi extrema acies à Cæsareanis est
 equitibus circumventa , & à fronte alii ur-
 gebant infestius , Rex Franciscus viribus , au-
 xilioque destitutus , capitur , & cum eo Rex
 Navarræ , aliique plurimi nobiles viri , Pon-
 tificis Romani Legatus Princeps Momo-
 ranus , Florenge , Lescu , Bonavalle , Du-
 rantius , Bosula , Brion , Valmontius , Obe-
 nignus , Santememius , Camefensis , Lor-
 ges , Navres , Riaus , aliique permulti. Ex
 militibus gregariis , qui profligatâ acie ef-
 fugere

fugere sunt conati, multos cum totis armis in Ticinum defilientes, rapidus amnis absorpsit. Alii ab occurfantibus media planicie equitibus interfecti, capti sunt alii. Horum tanta multitudo, ut capientium numerum vicerint; quos omnes postea armis exutos, Borbonius incolumes dimisit. Cæforum in prælio numerum, quidam ad septem, quidam ad decem millia redigunt. Nec tamen incruenta hæc stetit victoria Cæsari, in cujus exercitu præter insignes aliquot Duces octingenti ferè desiderati. Alanzonius Princeps Gallicarum partium videns suorum stragem, quadringentis cum equitibus è manibus hostium elapsus, Galliam versus quam maximè citato cursu contendit, & Lugduni febricula correptus, periit. Hanc victoriam cum qua nullius unquam veterum Imperatorum, nec laureas, nec auratos currus posse comparari existimo. Cæsariani adepti cum præda, captivisque Regibus, ac tota ferè Galliarum Regni nobilitate, Papiam ovantes repetunt, magnâ Civium quoque lætitiâ, & gratulantium acclamationibus, urbem longâ jam obsidione liberatam ingressi. Hic si unquam aliàs, nihil omnino esse res hominum cernere licuit, cum Rex paulò ante copiis egregiè ad belli usus, tum armis, tum exer-

exercituum ductoribus, ac bellandi peritiâ instructissimus, Italiâ ingressus, repenti omnibus, & copiis, & armis exutus, in potestatem hostium venit.

Tumultus Germanorum.

DIcam nunc de rebus Germanicis, quæ per idem ferè tempus acciderunt. Lutherus palam in concionibus, ad quas audiendas semper confluebant ingens turba mortalium, multa in Principes, in Prælatos, in Episcopos cùm diceret, Cæsarem vermium saccum, Principes tyrannos, Prudentiorem esse Turcam, & meliorem quam Christianæ reipublicæ Gubernatores, & alia id genus permulta, scriberetque in opusculis & libris: Deus libera nos ab his tyrannis. Tolle quæso è medio amarissimos pariter ac superbissimos Ecclesiæ Proceres. Populus his accensus dictis, tandem insurgere ac tumultuari cœpit & conspirare adversus eos, qui Principatum aliquem intra superiores fines Germaniæ obtinerent.

Anno restitutæ salutis millesimo quingentesimo vigesimo quinto Kalend. Januarii, vulgus Campidoneum hastis, fustibus, gladiis, securibus, & quæ præterea furor in arma convertere solet, direptis, in Abbatem

tem Dominum & Gubernatorem suum ferociter invehitur. Principes alii hos placare & compescere conati, omnino nihil effecerunt. Magis magisque sævit animis ignobile vulgus: jamque faces & saxa volant, furor arma ministrat. Ab his initiis adeo brevi temporis spatio crevit hoc malum, ut nullus postea mensis fuerit, quo non aliis atque aliis locis rebellatum sit. Lutheranae hæresis veneno imbuti homines ad libitum evagantes Monasteria diruebant, ejectis, aut in cruciatum arreptis Monachis, Templâ donariis, & præciosissimo rerum apparatu spoliabant; ad eundem modum occupatis, aut vi captis sæcularium domibus, Principum, aut etiam oppidis. Nam & hæc tentare sunt ausi, crudeliter diripiebant omnia, ut facile appareret prædandi magis studio quàm aliam ob causam plurimos excurrere cœpisse. Nunc mihi dicendum est, qui Duces insanienti se objecerunt multitudini: utinam dicere possem oppresserunt.

Quarta Aprilis.

Pro Leipeim ad Danubium cæsa sunt quatuor hominum millia per Suevicum exercitum. Permulti quoque in annem præcipitati, quidam gladio subjecti cum Parocho suo Lutheranae factionis homine.

XXII. Ejusdem.

Marchio Casimirus occidit millia duo, multos cepit captivos, plerosque decollavit, nonnullos cum pago universo concremari jussit.

XII. Maii.

Juniores Palatini vulgus adorti, interfecisse ex his traduntur quadringentos Ex captivis gladio subjecisse viginti tres.

XIX. Ejusdem.

Dux Ludovicus Comes Palatinus ex Heidelberga eductis copiis, recepit à vulgo sibi ademptos pagos. Recuperavit Brussellam oppidum Spirensi Episcopo, fratri suo Germano, decollatis è vulgo, quos in potestatem redegerat.

Ejusdem mensis. XXVIII.

Ab eodem jussi sunt gladio colla subjicere tumultus autores undecim, in quibus Presbyteri erant Lutherani duo, & Apostata monachus unus. Eodem mense perierunt circiter mille, occisi à Deipoldo Steynio.

In Alsatia XVIII. ejusdem mensis.

Prophana multitudo Urbes indifferenter sive expugnatas, sive sponte deditas, hostiliter

liter diripuit, direptas ruinis & incendio vastavit. De Lotharingia quoque jam occupanda cogitabatur, cum Provinciæ Dux Antonius, contractis exercitibus egressus, quatuor millia occidit. Postridiè alios adortus (rapinis enim & latrociniis passim fœdabant omnia) confecit millia sex. Mensis ejusdem die vigesimo, inter Tambachum & Skouylerum complures ab eodem fusi, fugati, cæsi. Postremò apud Sletstadium & Ortembergium eisdem prælio vicit memorabili. Qui primi de hoc tumultu commentarios emisérunt, ab Antonio colligunt interfecta viginti sex millia aut plus eo, & trecentos ex captivis gladio percussos.

In Thuringia.

IN Thuringia quoque tumultuatum est à prophana multitudine. Ad cujus infringendos conatus, Fredericus Saxonix Princeps dum & ipse validas contrahit copias, moritur die Maii duodecimo. In cujus funere habitam vidimus elegantem orationem Philippi Melanthonis. Hassix Princeps (Lantgravium vocant illi) centum homines Lutheri dogma secutos ferro confecit, qui & oppidum unum ceperant, & cujusdam Abbatis dirupuerant bona omnia.

Idem

Idem alia quoque strenuè perambulans oppida, quotquot hujus factionis viros invenit, gladio traditur admovisse. Sed nulli hominum generi infestior, quam Lutheranis Concionatoribus, quorum nonnullos ut audio, fuste capitibus illiso mactavit. His ita peractis, ad postremum cæteris junxit se Principibus. Itaque sub diem decimum quintum Maii cum prophano vulgo, quod in agro Frankenhufen (ita enim nominant illi) tumultuosè confederat, congressi, sex millia interimerunt, captis plurimis, aliquot etiam securi percussis. Oppidum quoddam celebre (Mulhusen loco nomen est) vulgus occupaverat. Quod diversis locis à Principibus Germaniæ oppugnatum recuperatur. Civibus ignotum his legibus, ut Clerum in omne jus, censusque pristinos restituant: muros, turres, aliaque urbis propugnacula solo æquent: arma, bombardas, pulverem tormentarium Principibus tradant. Sunt & alii plerisque locis à Palatino Electore, cæterisque rei militaris longè peritissimis Ducibus rustici velut vilissima pecora ad facietatem cæsi, millia centum & amplius soli Principes, quos Germani ligam vocant occiderunt. Sic stultitiâ, imò verius amentitiâ vulgi tam graviter est hoc anno afflictâ Germania, ac majoribus etiam deformata,

fœda-

foedatâque cladibus quam unquam à Gothis & Vandalis Italia. Tantorum te causam esse malorum, sunt qui dicant, Lutheri. Vidi libros eorum etiam, qui sunt tibi conterranei, quorum alius te Monachum infamen, alius seditiosum, alius Cacodæmonem, nemo Christianum vocat. Ego tantum oro, ut resipiscas, ut in viam redeas, ut eorum omnium quæ contra Evangelicam veritatem inconsultè scripsisti, Palinodiam canas, ut sanctè & religiosè vivendo ad vitam illam pervenias, quâ melius ac felicius optari nihil potest.

Mors clarissimi viri Martini Dorpii.

SUB hos Germanicos tumultus, gravi morbo correptus Lovanii Martinus Dorpius, insignis Theologus, pridie Kalend. Junias vitâ defungitur. Plus in uno hoc viro amisit schola Lovaniensis, quàm ut dici, aut æstimari potest. Mirè Poëtarum omnium fabulas tenebat, Oratorum & Historicorum libros omnes excusserat, Dialecticorum argutias callebat, Phisices arcana pervestigaverat, in Sacris litteris nihil tam arduum & difficile, de quo non subtiliter & accuratè disputarit. Quàm Latinus & elegans, planeque Romanus illi sermo,

fermo, quanta divinatorum eruditio. Solebam ego illum officii causa nonnunquam adire, ac ferè pomeridianis horis, nunquam non studentem ac libris immuffantem inveni. Sereno cœlo descendebat mecum in pomarium, quod ædibus suis adjectum habebat; nec ullus interim dum ambulatur, nisi de litteris, & rectè instituenda juventute illi sermo erat, non ignaro id ætatis velut totius reliquæ vitæ jaci fundamenta. Quid de singulari ejus dicam innocentia: Neminem sciens læsit unquam, nulli hominum invidit, nihil quod non sanctum & honestum esset appetivit. Mortui corpus Cœnobio Carthusianorum illatum, ibique sepultum est.

Tumultus popularis apud Buscumducis.

NON multò post apud Buscumducis tumultuatum à plebe adversus Magistratum. Exegerat ab oppidis Brabantiaë pecuniam Princeps. Hanc cùm Cives Buscuducensēs neque ex publico ærario dare velent, neque futurum putarent, ut ad publicam utilitatem daretur, impetu factò in opulentiora sui oppidi Monasteria, ab his extorquere, quod Principi darent, conati sunt. Tenuit per dies aliquot hic tumultus,
qui

qui tandem, in urbem admiffâ Gubernatrice Margareta, recedit. Neque inde abiit Princeps ipfa, nifi omni fublâtâ materiâ, undè in futurum aliud excitari poffet incendium.

*Rex Galliarum captivus in Hispaniam
avehitur.*

AD captivum Regem Galliarum nunc revertor, qui menses aliquot in Italia cuftoditus ad Imperatorem avehitur in Hispaniam, ubi non multis interjectis diebus cùm in febrim incidiffet, graviterque difcumberet, venit ad eum Carolus Cæfar. Quibus tum de rebus fint collocuti, nescio, Cæfar captivum & ægrotantem confortatus, juffit bono effe animo, fe curaturum, ut quæ ad recuperandam valetudinem neceffaria effent, haberet omnia; fcio præterea tentatam effe pacem, magnorum interven-tu Principum. Sed res ad exitum perducì nondum potuit, Gallis ad ea quæ rêpetit Carolus, minimè inclinantibus.


FINIS.


1011473841







100
A
100













L 308.

